



176  
a. 1  
1. M.

2.

1. B.

H.

3. 1

4. 1

5.

6. 1

7. 1



1738.

- a, b  
1. Bartholomaeus, Gethardus Christianus: De investitura bns.  
cum alteriuscum immunitiis in Savonia.
2. Bruder, Henricus: De Cicerone suis iuris teste et ac iher-  
prote.
3. Bruder, Henricus: De eaque instrumenti principalem  
unius minus principalem mariti causam continentis  
fidei.
4. Carpzonius, Fridericus Benedictus: De pena excisionis  
jure positivo universali in insectis nymphis statuta.
5. Crullius, Christopherus Ludovicus: Bell. juri. -- Decimus:  
lectio generalis s. p. d. (ad reputationem sacerdotum  
Iohannis Augusti Daerlingii instant).
6. Crullius, Christopherus Ludovicus: De prescriptione petitionis  
hereditatis paternae et antice
7. Crullius, Christopherus Ludovicus: Clericorum ab officiorum  
cum patrino factam sacerdotis de officiantur.  
- - . defendet



8. Crullius, Christophe l'envr: De mortis faminal  
alii creaturæ dat.
9. Crullius, Christophe l'envr: De fine instrumentorum  
in primis publicorum.
10. Hanaccius, Christianus: De pubertate Saxonica.
11. Heslerus, James Christianus: De variis modis oper-  
tulari lucrandi justiciâllo.
- <sup>a</sup> 12. Hoffmannus, James Gualtherus: Panegyricus, in aupe-  
calissimum conubium, quo . . . dominus Thiberaus 20.  
Augustus, Poloniarum rex et elector Sacrae.
- <sup>b</sup> 12. Hoffmannus, James Gualtherus: Acta et fidevia inter  
imperatores Rom. et Francorum reges primæ stir-  
pis.
- <sup>c</sup> 13. Hoffmannus, Dr. Gualtherus: Ruinam superstitionis  
paganae . . . publice corrirect.
14. Hoffmannus, Dr. Gualtherus: Acta et fidevia inter  
imperatores Rom. et Francorum reges primæ stir-  
pis.
15. <sup>d</sup> Leipzig, L. Christof, de: Origines nobilitatis  
diplomaticae . . . dependet . 2. Saec.



16. Lypens, Augustinus : De homicidio culpabilis.
17. Lypens, Augustinus : De homicidio iniidico.
18. Mayer, Andreas : De optima scapi contricione ratione
- 19<sup>a</sup>.<sup>b</sup> Menclen, Leonhard Ludovicus : De muto, surdo et muto simul surdo parante. 2 exempl.
20. Menckensis, Leonhard Ludovicus : De jure prolinos domini & recto in quavis fidei communis alienatione sec. iur. Saxoniam competente.
21. Mencken, Leonhard Ludovicus : De cessione in remone nominis praestanda.
22. Schubert, James Merlin : De certitudine futurorum actionum libertati mentis humanae hinc inimica.
- 23<sup>a</sup>. Specht, Christian : De his, quae cum fori 23<sup>b</sup> futuribus et curatibus et circa eos observandis.  
23<sup>c</sup>-Sperbach  
23<sup>c</sup>-Wager

23<sup>de</sup> Wagener - Koeppel.  
24<sup>1<sup>st</sup></sup> 23<sup>de</sup> Wagener - Rudolph.

Wulcrus, Dr. Fr. Serian: Defectum corporis  
contemplatio iuridica et remedium.

Dr. Wulcrus, Dr. Fr. Serian: De sacramentibus.



*God*  
14  
128  
1738

Q. SEPTIMII FLORENTIS  
TER TULLIANI  
QVAE SVPERSVNT OMNIA  
IN MONTANISMO SCRIPTA  
VIDERI

PRAESIDE  
IO. GVILIELMO HOFFMANNO  
IVRIVM ET PHILOSOPH. DOCTORE ET HISTO-  
RIARVM PROFESSORE PVBL. ORDINARIO

D. SEPTEMBR. CID 10CC XXXVIII.

H. L. Q. C.

PUBLICE EDISSERET

M. GODOFREDVS CENTNERVS  
THORVNIENSIS BORVSSVS.

VITEMBERGAE

EX OFFICINA EPHRAIM GOTTLLOB EICHSFELDII  
ACADEMIAE TYPOGRAPHI.



ОТЧИЛОСА ОДНО  
ГИАНДИ ПУТЕ

АЛГОТИЧЕСКИ  
ДИНАСТИИ

ОЖИДАЮЩИХ  
СЛАВЫ И СЛАВЫ

СЛОВОВОДСТВА

Terru.  
dubia  
veruſſt  
Vrbam  
desider  
ſis ac  
difcri  
libros  
compo  
bros  
nulla



# SYNOPSIS DISSERTATIONIS

*S. I.* Tertullianum ad Montanistas defecisse, contra Sandum ostenditur. Instituti ratio & dissertationis argumentum. Quam varie discriminem inter libros Tertulliani orthodoxos & Montanisticos statuatur. *S. II.* Quam dubia & incerta sit Montani & sectae eius historia. Fragmenta verius scriptoris de Montanismo apud Eusebium non esse Asterii Urbani. Quid in auctoribus etiam Montano coaevis eorumque fide desideretur. *S. III.* De erroribus, quos Tertullianus a Montanistis accepit, suisque libris inseruit. *S. IV.* Regulae, de accurato discriminine librorum Tertulliani constitudo. Non eos tantum libros in Montanismo scriptos esse, quos pro Montanistis compositos Hieronymus recenset. Ex notis temporum libros inter Montanisticos referri posse, quamuis ceteroquin nulla buius haereses labe aspersi sint. Numquid Tertullia-

Iianus familes errores ante Montanum foverit, disquiritur. Di-  
scrimen inter Tertullianum orthodoxum, Montianizantem & Mont-  
tanistam reiicitur. §. V. In Montanismo scriptos esse libros de  
monogamia, de fuga in persecuzione, de ieiuniis & de pudicitia.  
§. VI. Similiter librum de corona. Eum ad Maximini tempora  
non pertinere, contra Tillemontium ostenditur. §. VII. In Mon-  
tanismo scriptos esse libros de spectaculis, de habitu muliebri, de  
cultu feminarum. §. VIII. Item Lib. de idololatria. §. IX.  
Item Apologeticum. Coniecturae, quod demum post annum  
**CXCVIII.** conscriptus sit. §. X. Ad tempora Montanismi  
pertinere Libb. ad Nationes, de testimonio animae, ad Scapulam, ad  
martyres & de patientia. §. XI. Similiter libb. de pallio, de  
oratione, de virginibus velandis. §. XII. Item Libb. ad uxorem,  
& de exhortatione castitatis. §. XIII. Nec non Librum de  
poenitentia. §. XIV. Denique post eandem defensionem ad Mor-  
tanum scriptos videri Libb. de baptismo, aduersus Praxeam, ad-  
uersus Iudeos, aduersus Hermogenem, aduersus Valentianos,  
aduersus Marcionem, Scorpiacen, de praescriptione contra haer-  
eticos, de carne Christi & de resurrectione carnis.

§. L





S. I.

**Q**. Septimum Florentem Tertullianum ad haec res Montani defecisse, cum ipse multis locis testimonium in se dixerit, negabunt aut duo, aut nemo; nemo certe, nisi quem immoderatus erga Tertullianum amor, aut studium partium, quas forsitan orthodoxyia viri defensiva iuuare posset, transuersum egerit. CHRISTOPHORVS SANDIVS, qui fibi hanc eius defectionem persuaderi posse negat, (a) nihil in medium adulit, quod defensionis non dicam laudem, sed nomen mereatur, & aliquo saltem examinis studio dignum sit. Callidum enim huius excusationis consilium protinus apparet, & caussae, quae ipsum ad auerten- dam a Tertulliano Montanismi reprehensionem mouerunt, nemini non manifestae fiunt; argumentis autem vtitur minime callidis, & vix apud eos, qui vel ynum aut alterum Septrimi librum legerint, fidem habituris. Quae enim impudentia est, Tertullianum talem fuisse negare, quam se esse ipse non concedit tantum, verum etiam contendit? aut quid illa defensione insolentius, quod Tertullianus Montanista fuisse non videatur, quoniam hanc haeresin totis viribus, ut ait SANDIVS, in libris contra Praxeam, Hermogenem, de praescriptione contra haereticos & de Trinitate impugnauerit.

A

(a) CHRIST. SANDII encl. hist. eccl. lib. I. p. 96.

II TERTULLIANI QVAE SUPERSUNT

uerit. Ne torum quidem aduersus Praxeam librum usque ad finem euoluere necesse est, ut discamus, non refelli Montanum, sed de propheticis dotibus laudari, Praxeam vero non perfunditorie increpari, quod Episcopum Romanum a Montanistis non valde alienum, in contrarias partes abduxerit, & vt literas pacis, quas his hominibus iamiam dederat, illico reuocaret, hortatus sit. (b) Similiter in libro contra Hermogenem Montanismum magis defendi, quam oppugnari, postea demonstrabimus, idemque suspiciati sunt etiam illi, qui ceteroquin haereseos suspicionem a Tertulliani scriptis quamplurimi amoluntur. Libellum vero de praescriptione contra haereticos Montanismus oppositum esse, ne fingere quidem cum aliqua veri specie quisquam potest, nisi forte catalogus haeresium ad calcem eius editus hoc traheretur. Sed hunc haereticorum censum aequum ac librum de Trinitate Tertulliani non esse, chronicis notis, vt argumenta cetera mittam, euictum puto, & apud eos, quibus in hoc literarum genere suffragii ius est, dubio caret. Talibus vero praefidiis munitos esse oportet, qui eodem, quo SANDIVS, consilio Tertulliani scriptis ad obtegundos errores suos temere abutuntur. Neque vero metuo, apud quemquam valitulum esse alterum defensoris argumentum, quo reprehensionem Montanismi fauore Cypriani erga Tertullianum eluere contendit, eumque haereticum esse potuisse negat, quem martyr Cyprianus studiose legerit, & elegio magistri honorauerit. (c) Quid enim? dicendi genus, & orationis virtutes, & disputandi vim non etiam in illis, quorum opiniones ceteroquin non probamus, imitari licet? aut Cyprianus Tertullianas doctes amare, & acumen aut sermonis compositionem aemulari non poruit, quin simul eidem magistro suo in doctrina fidei & disciplina meliorem mentem precatus sit? Quam multi veterum

(b) T E R T U L L I A N . aduersus Pra-  
xeam. Cap. I.

(c) HIERON. de viris illustribus.  
Cap. LIII.

IN MONTANISMO SCRIPTA VIDERI. III

veterum patrum post Cyprianum in Tertulliano laudando prope nioii fuerunt, ita tamen, vt errores viri, & temere probatas Montani ac muliercularum quarundam prophetias auctoritati eius multum obfuisse agnoscant, & inter ingenii ac facundiae laudes illaudabilem Phrygum affectionem infasent. Ita quidem nec hac, nec vila forsan defensione Tertullianus tories defectionem confessus, tories deprehensus, eripietur. Et bene est, quod etiam SANDIVS, agnito auxiliorum suorum vitio, veritati cessisse, & accusacioni Tertulliano consentientibus omnibus intentatae subscriptissime videatur. Ille igitur viri ceteroquin in ecclesia prisa sine controversia praelari error, vt dissimulari nequit, ita dignum esset, quod accuratius excuteretur, argumentum. Et sunt etiam in omnium manibus Theologi Argentoratenfis dissertationes septem (d) de lapsu Terrulliani ad Montanistas, in quibus tamen, qui accuratius scribendi genus amant, quae recidi possent, inuenient, & vicissim quod adderetur, desiderabunt. Indulget enim auctor excursionibus frequentioribus in tempora nostra nostrisque proxima, & est saepenymero πάρεγγα opere ipso maius, rerumque recentiorum commemoratione negligitur Septimus, vt adhuc multa superesse videantur, si quis ex instituto quaestione repeteret, lapsusque illius caussas, periodos, & euentum, consultis ubique temporum rationibus, executienda sibi sumeret. Nostrum non ita late patet institutum. Illud enim vnicce dignum examine nostro putauimus, ex vtro genere singula Tertulliani scripta esse videantur; sapiente Montani haeresin, an ante lapsum composita sint. Nam in disputationibus de rebus grauissimis ad hoc discrimen saepe prouocatur, & quisque Tertulliani liber, vt vel prodest alleganti, vel nocet, defenditur, vel infamatur; non siue illorum indignatione, qui Tertulliano nunc orthodoxi,

A 2

nunc

(d) IOACH. ZENTGRAVII ad Montanistas.  
dissert. VII. de lapsu Tertulliani



## IV TERTULLIANI QVAE SUPERSVNT

nunc Montanistae personam, non vt cuiusuis scena postulat, sed ex praescripto veritatis, imponi vellent. Quia in re ad constitendum cerrum discrimen nulla tutor via teneri posset, quam si annus, quo noster ad Montani sectam fecerit, accurate determinaretur, & inuestigata singulorum librorum aetate, demum regula certa, qui ante illud bonaem mentis deliquium, qui postea scripti sint, constitueretur. Hoc autem commode obtineri posset, si acutum illud & supra laudes nostras positum ingenium Reu. Abbatis Io. LAURENTII MOSHEMI eandem curam, quam in indaga- ganda Tertullianei Apologetici aetate praefecit, ceteris etiam libris, vt olim pollicitus est, (e) impendere, studiumque suum ad chronologicas minutias, sed sine quibus nobis in quaestioneis grauissimis aqua nonnunquam haeret, de- mittere non recusaret. Habet quidem haec opera illud difficultatis, quod aliqui Tertulliani libri certis & indubita- tis temporum notis adeo vacui videantur, vt eorum aetas non dicam accuratis rationibus demonstrari, sed suspicio- nibus attingi vix possit. Sed pendet res ex cuiusque sagacitate & odora ingenii vi, quam nostri iudicium tenuitate metiri, temerariae confidentialiae vitium foret. Itaque quan- uis annales Tertullianeos condere, suosque cuiuslibet annos assignare vel ex indiciorum penuria, vel ingenii culpa non audeamus, in illud ramen discrimen, quo scripta Septi- milii Montanistica separantur ab orthodoxis, inquirere ani- mus est. Omnia vero rimantibus non tam differentia- quaedam, quam potius vbiuis obvium, & omnibus, qui supersunt, Tertulliani libris impressum Montanismi studi- um apparuit; qua in re quam recte positi a nobis sine cal- culi, mox, quando per singulos libros circumfondo senten- tiae nostrae rationem reddiderimus, legentibus manifestum fiet.

§. II.

(e) IO. LAVR. MOSHEMI de se. Dissert. ad H. E. pertinentium, tate Anologet. Tert. p. §2. in volum.

§. II. In hos itaque tam anguste coactos instituti nostri fines non incurruerunt quæstiones remotores de Montano ipso, de Maximilla & Priscilla, ceterisque, qui vel eodem spiritu agitati, vel eidem creduli fuerunt, nec magis aliae tractationes de fœtæ origine, fatis, & erroribus, quæ singula, ut oportet, excutere maioris esset operis, & diligentiae latius, quam tempora nostra permittunt, diffundendæ. Nam prope singula, quæ de his hominibus satis secure iactantur, inquisitione repetita scrutanda essent, cum illi fœtæ contigerit, quod multis aliis, ut pauci, qui eam describendo attigerunt, odio vel gratia prorsus vident, eamque diligentiam & in inuestiganda veritate normam custodian, sine qua tamen haeresium historiae facile vel in inconsultam defensionem, vel in calumniam defluunt. Illud a nobis nemo postulabit, ut quicquid antiqui patres de Montanistis memoriae proddiderunt, iterata opera, & vel eo nomine, quod ab aliis iamiam occupata sit, inutili describamus. Dabunt haec plena manu, qui vel vniuersam ecclesiae historiam, vel haeresium catalogos texuerunt. Haec dignior examine quæstio foret, quid illa veterum testimonia veri ac solidi creperint, & quid de Montanistarum accusatoribus & defensoribus antiquis & nouis iudicio certo tenendum sit. Nam nec hinc fœtæ, quamquam ab ecclesia toties notatae patroni sui defuerunt; cum & olim eam adhuc nascentem TERTULLIANVS defenderit, & inter recentiores RIGALTIVS, (f) GVRTELERVVS, (g) & illud tot haereticorum praescidum ARNOLDVS, (h) aliqui operam suam & excusandi sollicitudinem ei commodauerint. Darent vel hi recentiores amplam disquirendam materiam, nisi defensiones eorum statim prouiderent, quod plerique veritati minus quam partibus stude-

A 3

ant,

(f) NIC. RIGALTIVS in præ-  
fatu ad Tertulliani oper.

(g) NIC. GVRTLERI Theolo-  
gia Prophætica Cap. XXV.

(h) ARNOLDI Kirchen und Reges-  
Historie P. I. Lib. II. Cap. IV.  
§. 44.

VI TERTULLIANI QVAE SUPERSVNT

ant, & immoderato Tertulliani ab haereseos foeditate vindicandi amore, aut vitiola in nouos prophetas & fanaticas turbas indulgentia saepius abripiantur. Illis enim, quorum intererat, Tertullianum orthodoxum seruare, cum defectionem ad Montanistas in re manifesta negare non possent, nihil reliquum erat, quam ut ipsum Montanum defendenter, & huius sectae nomen honestius redderent, & vnius magni asseclae auctoritate, velut quandam Pompeianas partes accessione Catonis, excusarent. Similiter alii, qui nouis prophetis indulgent, omnesque parum sedatae mentis motus, quasi coelitus excitatos venerantur, & minus credulos propheticæ iæstationis iudices ut persecutores oderunt, continuo cum ARNOLDO prophetias Montani defensione, veteres autem ecclesiarum antistites, qui Spiritus S. charismata in Montanistis apparere ex certis indiciis negauerant, reprehensione dignos censuerunt. Ex hac perueritate studiorum & consiliorum, quibus defensores illi ad excusandos Montanistas descenderunt, facile patebit, semel sublati, quibus temere nituntur, fundamentis, multa fine magno negotio dispelli posse, ut dispuilit etiam plurima B. HEINECCIVS. (i) Nos, ut diximus, a pingendis Montanistis propter summan in eligendis genuinis coloribus difficultatem, cohibemus manum. Difficultatis autem plenum opus esse illi, qui Montanicarum historiarum auctores, corumque fidem & peritiam ad examen reuocabunt, experientur. Neque enim monendum esse puto, Philastrii & Epiphanii suspectam auctoritatem male tutum iter praebituram esse. Ne Hieronymum quidem, & Augustinum, & patres ceteros ab aetate Montani aliquanto remiores testes secure citarem, nisi prius antiquiorum auctorum, ex quibus hi sua depromserunt, fidem explorauerim. Seruavit enim EVSEBIUS fragmenta vetustissimorum scriptorum de Mon-

(i) IO. MICH. HEINECCIVS ten Cap. VI. §. XII. seqq.  
Prüfung der sogenannten neuen Proph.

IN MONTANISMO SCRIPTA VIDERI VII

Montanismo, qui Montani aetatem artigerunt, &c, nisi fal-  
lor, ceteris omnibus in commemorandis huius sectae doctri-  
na & fatis praeceundo scribendi materiam praebuerunt.  
Quae monumenta si dubiae fidei sunt, & suspicione non  
vna premuntur, quid in historia Montanisimi nobis pollicie-  
bimur? aut quid de laticibus sperabimus, si fontes etiam  
nonnihil sordium vehunt? Quam multis vero locis etiam  
haec auctoritas prisca vaciller, paucis ostendemus, quando  
prius de ipsis auctoribus quaedam dixerimus. **EUSEBI-**  
**VS** (k) in describenda Montani secta auctore anonymo vti-  
tur, ex cuius libris tribus contra illam haeresin scriptis  
quaedam fragmenta seruauit, & operi suo intexuit. Hunc  
scriptorem **HEINECCIVS**, (l) **TILLEMONTVS** (m) &  
plerique recentiorum Asterium Urbanum fuisse putant, pa-  
rum prouide, meo quidem, & vt opinor omnium, qui Eu-  
sebii verba studiosius inspicerint, iudicio. Referr Eusebi-  
us, Apollinarium Hieropolitanum contra Montanistas scri-  
psiisse, & cum eo plures viros doctos (*πλείους τῶν λογίων*  
*αὐτῶν*) ex quibus *aliquis* (*τῶν εἰρηνέων τις*) suam cum no-  
uis prophetis habitam disputationem tribus libris comple-  
xus sit. Ille igitur *quidam* non Asterius Urbanus ab Euse-  
bio dicitur, nec fuisse potest, vt ex ipsis fragmentis, si cu-  
riose legantur, appetat. Allegat enim *anonymus* ipse li-  
brum Asterii Urbani, sirsque se verbis & allegationibus satis  
ab Asterio distinguit. Fraudis vero fortassis quibusdam fuit,  
quod haec verba crediderint Eusebii esse, cum fieri anony-  
mi, & Asterium Urbanum ab Eusebio citari purauerint, cum  
ab *anonymo*, & quod consequitur, cum Asterio non con-  
fundendo, citata sint. Alter, cuius fragmenta quaedam **EUSE-**  
**BIVS** (n) seruauit, Apollonius est, de quo mihi iterum sen-  
tentia quorundam recentiorum, qui eum Montano viro ac  
super-

(k) **EUSEB.** Ecclef. histor. Lib. pour servir à l'histoire eccl. Tom. V. Cap. XVI. & XVII. II. P. III. p. 69 seqq.

(l) **HEINECC.** cit. loco.

(m) **TILLEMONT.** Memoires

(n) **EUSEB.** cit. loc. Cap. XVIII.



VIII TERTULLIANI QVAE SUPERSUNT

superstite scripsisse perhibent (o) suspecta viderur. Hieronymus enim, qui Apolloniū librum ipse tractauit ex eo refert, (p) Montanum & mulierculas vates vitam suspedio finivisse. Haec de auctōribus ipsis, quamquam leuia, cura tamen & emendatione digna videbantur. De fide ipsorum nollem cavillari, quod ipsum, si quis temere faceret, etiam difficultatum foret; cum & anonymus ille & Apollonius verutissimi auctōres sint, ipsamque Montani aetatem proxime attigerint. Neque tamen dubito, quin illi, qui ex his auctōribus ceteros sua descripsisse norunt, rigidius examen admisuri sint, & facile conceperint, quando his indulgeretur, cetera quoque Montanisticæ historiae monumenta inemendabili dubitatio-  
nis vitio inuolutum iri. Ac primum nescio, annon multos id vnum offendere posuit, quod verutissimi rerum Montanisticarum auctōres non tam historici studio partium prorsus vacui, quam poros in ipsis cum Montani grege controuersiis volutati fuerint. Non equidem ignoro, de ceteris etiam plerisque sc̄ētis nullos alios historicos superesse, nisi qui simul aduersarii fuerint. Sed hoc ipsum in-  
commode multas historiae haeresium partes lubricas redi-  
didisse, & sectatores certi ac veri religiosos in anticipis du-  
bitationis fluctus misisse, utinam falso iactaretur! Tenebit  
hoc certe omnium eorum animos suspensos, qui hominum  
ingenia norunt, & quam facile viris ceteroquin integerri-  
mis vincendi desiderium & disputandi arres quasi ex infidis  
obrepant, exemplorum multitudine didicerunt. Deinde a  
nonymus ille Eusebianus, qui, vt diximus, Asterius Vrba-  
nus falso creditur, tribus libris suis id egit, vt disputatio-  
nem, qua cum Montanistis Ancyrae congressus erat, ipse  
victor describeret. (q) Quod si castæ ac religiose fecit, ne-  
cessē erat, vt prius victoriae suae aliis persuadendae studi-  
um, quod inter humana vita plerumque postremo loco depo-

(o) TILLEMONT, cit. loc. p. 68. Cap. XL.

(p) HIERONYM. de viris illustr.

(q) EUSEB. cit. I. Cap. XVI.

IN MONTANISMO SCRIPTA VIDERI. IX

deponitur, exueret. Atque ut controversiarum libri in rebus, quas facti sunt, saepe merito suspecti habentur, ita nescio, an non augeatur lectoris haesitatio, quando quis agonis sui simul & auctor & iudex & praeco est, nec tantum contra fusos aduersarios pugnat, sed & quam feliciter olim pugnauerit, aliis narrando commemorat. Et gloriatur tamen anonymous ille de perturbatione, qua victoria sua Montanistas, & de gaudiis, quibus eadem orthodoxos impleuerit. (r) Erunt fortassis etiam aliqui, quibus suspectum videbatur, quod cum Ancyran presbyteri hunc Montanistarum victorem rogassent, ut disputationis suae summam adhuc Ancyrae literis mandaret, ille tamen nescio quibus ex causis consultius duixerit, nec Ancyrae, vbi disputauerat, nec eo, quo rei gestae memoria penes hos, qui audierant, adhuc recens esse portaverat, tempore, sed post aliquod interuallum vietrices suas orationes describere. (s) Accedit & hoc, quod vetus ille anonymous in describendis ac refellendis Montanistis non semper iisdem armis pugnet, sed altero libro ipsis concedere videatur, quod ademerat altero. Nam ecce, quando de propheticâ Montani iactatione loquitur, eumque redarguit, quod contrarium sentientes persecutorum loco habeat; tunc, quis, inquit, ex turba vestra Christi nomine vel supplicium passus, vel flagris caesus, vel lapidibus peritus est? (t) Et tamen idem ille martyres, quos Montanistis detraxerat,

B

libro

(r) I.B.D. οὐ τὴν μὲν ικαλησίαν ἀγαλλιεούσῃν, καὶ ποὺς τὴν ἀληθείαν ἐπιβάθμησεν, τοὺς δὲ ἔξωτας ποὺς τὸ πέραν ἀπωνοσοῦσθαινειν καὶ ποὺς ἀντιθέτους λυπηθῆναι.

(s) Ibid. Αξιούσιαν οὖτις τὰς κατὰ τέραν προσευχέσθαι, οπως τὰν λαζήτιστην κατὰ τὰν ἀπιδιαιτημένιαν τὴν τῶν ἀληθείας λόγῳ ὑπομονῆσαι καταδίπτωμι, — τοῦτο μὲν εἰς ἀρχέσαμενον γειτανεῖν εἴ τινας γενέψαστες

τοῦ κυρίου θύσοτος, διὰ σπουδῆς πέμπειν ἄνετος.

(t) Ibid. Αποχρινάσθωται διάλιτη ποὺς διεῖν. Εσι τις, ὁ βίλτισαι, τούτων τῶν ἀπὸ Μοντανοῦ καὶ γνωκῶν λαβέν αξέραμένων, ος τις ώπο λευκών λειαζόθε, ὁ δ. πὸ παρατίμων ἀπεκτάνθε; εὐθές. Οὐδὲ γε τις ἀντῶν κρατήσεις ὑπὸ τοῦ οὐδαματος ἀντιταχεύσθη; εὐδὲ μὲν οὐδὲ ισονυμωναγόνων λευκών τῶν γνωκῶν τις ἐμαστρεύθη ποτί, ἡ ἐλεύθεροληπτή; οὐδεματες οὐδαμάτως.



libro tertio reddit, & aliquos fuisse fatetur, sed ad rem pertinere negat, nullamque per eos auctoritatem nouis prophetis accedere contendit, cum & Marcionistis, & aliarum haeresium sectis sui sint martyres, quorum tamen sanguis errores opinionum peruerfarum non eluisset. (u) Quod quam parum distet a contradictione, viderint, quorum interest horum fragmentorum auctoritatem integrum seruare. Illud nec in anonymo, nec in Apollonio ferendum videtur, & ni fallor omnium vitiosissimum est, quod in pingendis Montanistis colorem interdum vertant, & desultorio more nunc de imposturis & fallendi artibus, nunc de entusiasmo, interdum etiam de agitationibus a malo genio profectis disputent, & res longe diuerfissimas, & quae in uno homine simul esse non possunt, in unum tamen characterem cogant. Oportebat autem cum aliquo discrimine versari, & ut vnicuique protinus constare possit, ex quo generre prophetarum falsi fuerint, descriptione certa nec adeo varia constituere. Iam vero Montanus in historicis nostris aliquoties personam mutat, & mox calliditer ac fraudibus fabulam agit, mox furtit, mox agitatur a diabolo. Ac fraudis eum aque ac mulierculas accusari, vel ex eo manifestum est, quod initium turbarum ex immoderato Φιλοτραπείας studio cepisse, quod pecuniam captasse, & vicissim ad conciliandos sibi & paucendos asseclas dedisse, quod foenus exercuisse, alea lufisse, corpus etiam molliter curasse, & capillos tinxisse perhibentur; (x) qualia in prophetam cadere possunt impostorem,

(u) Ibid. Εών τόδε μάρτυρες καταφύγουν ποικίλην ἀλογοτόπων μεταξύ  
καὶ μάρτυρες, καὶ τότε εἰς τεκμή-  
ριον πεισθήσεις δυνάμεων τοῦ πυαρός  
ἀνέλογουν προφετικῶν πνευμάτων.  
Τὸ δὲ ίδιον αρέσκει εἰς πατός μάρτυρος  
οὐκ ἀλλοθίς· καὶ γάρ τῶν αἰτιῶν αἱρετο-  
ρων τοὺς πλεῖστους οὐρανούς εὑχούσι μάρτυρες,  
καὶ τ. Α.

(x) EVSEB. cit. l. c. XVIII. (*ουτος ει Μοντάνος*) ο πρωτηρας Κερμα-

των κατασκόπων, ὁ ἐπ' οἴδηματι προερχόμενος τὸν διαστήματα τῶν πεπιστεγούμενος, ὁ συλλέγοντα μεριγμάτα τοῦ καρύποτουνος ἀντέτοι λόγων, οὐαὶ διὰ τὰς γηραιμαγηγίας, ηδιδοκαλίσει τοῦ λόγουν καρπούντην· Περοφίτης, εἰπὲ ροι, βάσκηται; περθεῖται ταῦτα τελέωνα καὶ κύβεις ταῦται; περθεῖται δακτύλεις; ταῦτα φρεσοπογότεσσιν ποτερών, οὐ μηδὲν δέιπνον διετέλεσθαι;

IN MONTANISMO SCRIPTA VIDERI. XI

non in eum, qui male tutae mentis aestu vel plane daemo-  
ne aspirante corripitur. Et tamen idem ille Montanus apud  
eosdem auctores in ecstasi incidit, & *amentia bacchatur*, (y)  
& in his demum ecstaticis motibus veri prophetae signum esse  
contendit. Ingerit se denique malus genius, & Montanum mo-  
do impostorem aut enthusiasmus occorreptum implet, & quod  
omnium maxime mirum est, eum tam contumaciter occu-  
pat, ut etiam a viris piis eius non potuerit. Ajunt enim  
auctores nostri, quamquam valde inexpectate, hypocritas  
obstisset, quo minus diabolus expelli potuerit. (z) Ita  
vero multi aincipites haerebunt, qui fieri potuerit, ut illi,  
qui daemonibus imperare & exilium indicere sperauerant,  
cesserint tamen hypocritis, & qui contra spirituum virtu-  
tem arma non sine spacio vincendi induerant, artificiis homi-  
num succubuerint? Talia in vetustis Apollonii & anonymi  
fragmentis eriam eos male habebunt, qui ceteroquin no-  
men incredulorum minime affectant. Nos certe nihil ca-  
uillandi temeritati dedimus, & quam procul ab ea sumus,  
ipsa fragmentorum verba, quae descripsimus, protinus  
ostendent. Itaque quid de Montanistarum historia certi & ex-  
plorati nobis pollicebimur, si scriptores etiam coaeui talibus  
virtutis virginetur? quam adhuc multa in his ipsis auctorebus ob-  
seruari forte possent, si supercrescent integri, cum tot naevis et  
iam fragmenta conspicuahint? quid denique recentioribus fa-  
ciemus, a quibus latices purores inique postularentur,  
quandoquidem eos ex his fontibus deduxerunt. Adde,  
quod Montanismo idem acciderit, quod aliis sectis bene mul-  
tis, ut actas discipulorum peior praceptoribus auctores se-  
nti, etae ipsos infamauerit, & sequacium culpa redundarit in  
magistros. (a) Adde, in historiis Montanisticis hunc velu-  
ti proprium ac singularem scopulum esse, quod cum Mon-

B 2

tani-

(y) I BID. αἰνούσιος μεντία Φυλῆς. ἀβέληστος τος δαιμονια τῆς περιποίησης ικ-

(z) I BID. Σῷ ὁ Θεός ὁ οὐρανοῖς, βασιλεὺς, καὶ οἱ υποκριταὶ οὐκ ἀφῆσεν.  
ετι Σωτῆς ὁ μακάριος ὁ οὐ άγκιάλῳ (a) TILLEMONT. cit. loc. p. 60.



XII TERTULLIANI QVAE SUPERSVNT

tanistis aliqui confuderint Montenses, seu Donatistas, (b) nominumque confusione simul reprehensiones huius haereseos & errores suos multiplicauerint. Quae si quis omnia perpendat, fatebitur, Montani sectam inter eas pertinere, quarum historiae dubiis plenissimae sunt, & de quibus vulgo plus dicitur, quam scitur.

III. Quae cum ita sint, maluimus caussam Montanistarum iniudicatam relinquere, neque nocebit instituto nostro, si generalem, de vniuersis & singulis sectae erroribus, quaestioneerem, que in ordinem dicendorum necessario non incurrit, omiserimus. Quicquid enim de ceteris eorum dogmatibus tenendum sit, illa certe, quae Tertullianus ab eis accepit, designari ac velut in digitos diduci possunt. Nimirum hos errores ipse suomet indicio prodit, & quando contra Psychicos vel Catholicos disputat, tunc ipse sua manu maculas, quibus in communione cum Montanistis aspersus est, retegit. Quorum omnium catalogum iam alii (c) satis diligenter texuerunt, multisque argumentis probarunt, quod primus viri error, & ex quo ceteri fluxerunt, in falsa de Montani prophetiae persuasione versatus sit. Huius enim Montani & quarundam mulierularum ecstaticis motibus Spiritum S. nouae revelationis auctorem, verum Paracletum, interuenire censem, & ex ore suorum vatum doctrinam Apostolorum suppleri, nouisque praecipits disciplinam ecclesiae severorem, & quod consequeretur, perfectiorem reddi posse, contendit. Hoc Montanistico genio adspirante moechis ecclesiae fores obserat, Christianis secundarum nuptiarum foeditate, ut ait, interdicit, fugientibus in persecutione viam praelu-

(b) S. OPTATVS de Schismate  
Donatist. Lib. II. Cap. IV. & ad eum locum notae DV PIN. COV-  
STANT. Epist. Rom. Pontif. Tom. I.  
p. 65f. TILLEMONT. cit. loc. p. 59.  
MELCH. LEYDRECKER histor. ec-  
cles. Afric. Tom. II. p. 61.

(c) ZENTGRAV. diss. de lapsu  
Tertull. ad Montan. Diff. V. §. 4.  
TILLEMONT. Memoires pour ser-  
vir à l'histoire eccl. Tom. III. P.  
I. p. 366. ALLIX. de vita & scriptis  
Tertull. Cap. V.

IN MONTANISMO SCRIPTA VIDERI XIII

cludit, ieunia multiplicat, & legis necessitate veluti sancit, ut cetera taceam, quae de spe regni mille annorum, de virginibus velandis, de militia in Christianis non ferenda, & de quibusdam disciplinae capitibus, alias in Christianorum liberatae positis, sed Montanistarum tetrica severitate velut imperio praescriptis, passim in libris suis iactat. Quae quamvis pleraque Tertulliano iam sua natura satis austero nemine etiam praecunte in mentem venisse, ac ipsi potius domi nata, quam a Montanistis arcessita videri possent; est tamen duplex indicium, ex quo intelligimus, quod ex Montanistis moneta sine dubio sint. Nullum enim ex his, quae modo recensuimus, capitibus tetigit, quin vel ad eius confirmationem auctoritate nouorum prophetarum vtratur, vel in eiusdem defensione, Psychicos exagitet, neutrum vero, nisi ab eo, qui relictis catholicis Montani castra sequebatur, fieri potuisse immotum est. Quod pluribus testimoniosis ex Septimi operibus offendere tam facilis quam exuberantis operis foret. Nam & ab aliis collecta sunt, & pleraque, quando per singulos eius libros Montanismi conuincendos circumibimus, producentur, adeoque superfluum esset, hunc etiam locum multitudine testimoniorum onerare. Succedit igitur, vt illud vnum, quod opellae frons profitetur, nimur omnes, qui superfluit, Tertulliani libros tunc demum, postquam Montanisticis erroribus infectus erat, prodiisse videri, accuratius ostendamus; quod ipsum, quando prius pauca de ratione, quam in examinandis Tertulliani scriptis tenere oporteat, praefati erimus, argumentis haud fallacibus, vt opinor, demonstratum dabimus.

§. IV. Ac primum quidem monuisse iuuabit, ne quis eos tantum libros a Tertulliano Montanista scriptos esse puret, quo<sup>s</sup> HIERONYMVS pro Montanistis compositos esse rerulit (d). Qui ita censuerunt, interpretatione verborum Hieronymi falsa ducuntur, & quam parum in lectione Ter-

B 3

tul

(d) HIERON. de viris illustr. Cap. LIII.



## XIV ETRTVLLIANI QVAE SUPERSVN

tulliani voluntati sint, prodidere. Nam manifestum est, HIERONYMVM non id agere, vt libros orthodoxiae probare ab his, qui erroribus haereticis infecti sunt, accurato discrimine separet; sed vt eos tantum, quos ex professo contra ecclesiam scripsisset, & qui Montani dogmata non solum sibi, veram etiam tueruntur, indicaret. Nihil dubii verbis eius relinquunt, in quibus commemorat Βιβλίαν, ἃς ΙΔΙΩΣ πατέρα τῆς εὐαγγελίας πατερού, libros, quos PROPRIE contra ecclesiam scripsit. Quae si quis ita interpretaretur, (e) ac si praeter eos, quos hoc loco Hieronymus recenset, haereticae labis omnes puri essent, nac ille in exiguum numerum Montanistica Septimii scripta cogeret, & argumentorum in contrariam opinionem euntium spissa nube refelli posset. Interest vero multum, vtrum liber ad excusandam & ex instituto defendendam haeresin compitus sit, an tantum indicis quibusdam, quod auctor, cum ad eum scribendum se conferret, in peruersitate sententiarum iamiam haeserit, legentibus prodat, vel vrbinis verbis rei dictamen edisseramus, vtrum pro Montanistis, an in Montanismo scriptus sit. Illius generis libros Hieronymus recensere voluit, nos huius; parumque roboris haberet argumentum, quod ex Hieronymi breui catalogo ad imminuendam & coarctandam prolixitatem nostri converteretur. In multis, & vt ostendemus, in omnibus, qui supersunt, libris suis Tertullianus se Montani affectam praestitit; defensorem in paucis; & quamvis Montanistica illa sica vbius succinetus videatur, eam tamen rarius, & tunc demum, quando scribendi materia etiam digladiandi campum aperire videbatur, contra Catholicos eduxit. Huic adde alterum, sed cuius eo magis memorie nos esse oportebit, quo securius a plerisque negligitur, ne quis properata facilitate librum Tertulliani a Montanismo suspicione statim absoluat,

(e) Ita vero interpretatus est, vt in histor. Bibliothec. sua P. I. p. 155. alios mittamus B. IO. FABRICIVS seqq.

solutus, qui nulla illius haereseos vestigia continet. Quamuis enim prima facie peregrinum ac prope iniquum videri possit, etiam illis libris, qui labe Montanistica carent, accusationem intentare, & cum periculo calumniae suspicionibus aliunde petitis inniti; magnum tamen, nisi vehementer fallimur, in temporum ratione momentum positum, & certissima collectio est, eum librum, qui nulla quidem indicia Montanismi per se praebet, sed secundum scribendi tempus & ordinem post alium, qui a Tertulliano iam Montanisti compositus erat, prodit, hoc vnico, quod ab aetate recentiore petitur, argumento Montanismi conuinci posse. Nunquam enim certis testimoniosis probatum est, Septimum nostrum ab affectione Montani ad bonam mentem & ad ecclesiae, quam deseruerat, gremium rediisse. Quare, si Tertullianus non solum in Montanismum incidit, quod dubio carere puto, verum etiam usque ad finem vitae, ut erat in receptis sententis constanter defendendis contumacissimus, perstiterit, quid prohibet, quo minus aliquos eius libellos nullis quidem huius haereseos maculis signatos, alii tamen libris fine dubio Montanisticis recentiores, & hinc in ea, quam semel receptam numquam deposituit, opinionum perueritate scriptos, inter Montanisticos conicitamus. Non omne, quod explicandum sibi sumferat Tertullianus, argumentum earum quaestionum tractationem recipiebat, de quibus inter Catholicos & Montanistas disputabatur. Et quamvis nullam facile occasionem contra Catholicos stomachandi fuisset prophetas magnifice collaudandi Septimus noster omnis videatur, non omnes tamen, quas tractare cooperat, maternas, nouorum prophetarum elogium admisisse, nec semper oportunum ad tentandam in Psychicos eruptionem campum praebuisse, palam est. Itaque vel subscribendum erit regulae ac finitioni nostrae, libros nimirum cetera non suspectos solius temporis argumento Montanisticis iure ad iungi,



XVI TERTULLIANI QVAE SUPERSVNT

iungi; vel euincendum, Tertullianum receptasa Montani grege fententias iterum deposuisse. Quod postremum, cum vix villa veri specie defendi possit, utr poftea faepenumero norma, quam modo duxi, nec admittam cuiuscunq; libelli Tertulliani ex defectu errorum Montanisticorum defensionem, homo ceteroquin ad accusandum minime pronus, & calumniarum nullam magis, quam qua innocentes vel homines, vel libri haereseos insimulantur, perosus. Huic fententiae nostrae obftare posset alia, prorsus in contrarium circumacta, quea ne quidem illos Tertulliani libros, qui dogmatibus Montanisnum redolentibus maculati sunt, in catalogum eorum, qui ab ipso iam Montanista scripti eſſent, ruto reiici patitur. Nam plerosque, inquit celeberrimus MOSHEMIVS, (f) eorum errorum, quos in Montano Chriſtiani recte fentientes damnarunt, iam ante fouit homo hic supra modum trifitis & feueris, quam Montanus res nouas inter Chriſtianos molivetur. Ego Tertullianum per tetricam & ausleram indolem in eosdem errores, quos poftea Montanus propalauit, tametsi ne quidem ille praciuiſſet, incidere potuisse, non conſerferim tantum, verum etiam contendetur. Est inter viuis ſectae homines quaedam ingeniorum conſpiratio & ſimilitudo, tamque peregrinum fore, ut Aristippum Cato ſequeretur, quam frequens, ut Catonis ſimiles foriter & conſtanter rem agant, etiamſi porticum numquam frequentauerint. Itaque Tertulliano Montanisnum quendam ante Montanum obrepere potuisse, nemo, niſi qui hominum ingenia neſcir, negauerit. An re-apſe viro haeferit, quaefio eſt, vt dicimus, facti, ad cuius finitionem coniecturae de ſimilitudine ingeniorum non ſufficiunt. Si EVSEBIO credimus, Montanus prophetias ſuas & errores ſpargere coepit circa annum CLXXI. Itaque ſi plena ſecuritas in ea re definienda quaereretur, quaerendus

(f) MOSHEM. de aetate Apolo- getici Tertulliani §. XVI. not \*\*  
Pag. 59.

IN MONTANISMO SCRIPTA VIDERI. XVII

rendus esset ex operibus Tertulliani liber, qui ex certis temporum notis ante Montanistri primordia scriptus crederetur. Qui si doctrinas contineret, quas deum ex officina Montani prodidisse, & inde ad Tertullianum peruenisse credideramus, vtrumque euinceretur, tum quod Tertullianus etiam nondum Montanista eosdem, quos a Montano deum accepisse vulgo putatur, errores souerit, tum quod valde lubricum foret, ex maculis doctrinæ ac disciplinæ de discrimine librorum Tertullianorum suffragium ferre. Iam, cum nondum designatus sit eius liber, qui anno CLXXI. antiquior ex iustis caussis haberi debeat, multum ab illa Montanisimo Tertullianante Montanum statuendi securitate decrescit. Haud equidem contendere, fieri non posse, vt singulis Tertulliani libris sui natales anni adscriberentur, quoniam, vt antea diximus, de aliena sagacitate desperare conscientia mediocritatis nostræ nos cohibet. Sed vtiamur interim has exceptio-  
ne, notosque illos Montanistici gregis errores Tertulliano iam ante Montani tempora quasi ex suo fundo natos & ab eo propositos esse, prius non admittamus, quam liber Tertulliani, qui ex indubuis argumentis Montani aetatem antecedit, designatus sit. Quod si fiat, plane farebimus, lubricum esse, de discrimine librorum, quos ille vir vel cum adhuc esse, cum catholicis ficeret, vel postquam ad Montanum desciuerat, scripsisset ex errorum Montanisticorum sapore iudicare. Ceterum nec hanc gradum veluti scalam admiserim, qua nonnullos vsos esse video in distinguendis libris a Tertulliano recte sentiente, Montanizante, & Montanista conscriptis; (g) vel vt PEARSONIVS loqui solet, qui inter TERTULLIANI Montanisimum nascentem & adulterum discrimen statuit. (h) Carent haec finibus certis, nec mitius ambiguum vultus esset Montanizantis & Montanistæ, quam eius, qui aegrotare incipit, & aegrotantis. Nisi forte dicamus,

C

Mon-

(g) ZENTGRAV. cit. disserit IV. (h) IO. PEARSONII Vindie, Ignatian. P. II. Cap. XI.  
§. X. seq.



XVIII TERTULLIANI QVAE SUPERSUNT

Montanizantis libros esse, qui quidem Montani dogmatibus infecti sunt, sed recte sentientes non exagitant; Montanistae vero, qui haeresin non solum continent, verum etiam contra Catholicos ea, qui solet Tertullianus, erga partes aduersas acerbitate defendant. Ita certum haberemus vocum ceteroquin ambiguarum discrimen, quod tamen nec Zentgrauius, nec Pearsonius sequuti sunt. Quare ut ad propositum redeamus, duplex est indicium, quo liber Tertullianus Montanismi conuincitur, alterum, si doctrinas, quales Montanum & eius mulieres, postquam vaticinari coeprant, sparsisse nouimus, contineat, easque noni paracleti auctoritate confirmet, & contra recte sentientes, vel ut in his controversiis contumeliosa nomina volant, Psychicos defendat; alterum, si labis Montanisticæ quidem purus, verum non tam ob sanam auctoris mentem, quam quod peccandi occasio defecerit, integer sit, aetate tamen ex certis indiciis eruenda libellos alios indubitate erroris sequatur, & hinc in haeresi non quidem vbiuis manifesta, Tertulliani ramen usque ad vitæ finem perpetuo & indiuiduo comite, conscriptus sit. Itaque circumueamus huius auctoris Montanismo aegri lectum, & cuiusque libri causa venam temremus, quo id, opinor, consequemur, ut vel ipsos Montanismi motus & veluti paroxysmos deprehendamus, vel si etiam his erumpendi locus haud fuerit, ex rationibus temporum coniectemur, librum ab aegro & velut in eo lectulo, vnde numquam per omnem vitam resurrexit, compositum esse.

¶. V. Atque ut a certis, quod in omni scriptione deorum, in hac prorsus necessarium est, ordiamur, item cum nemine, nisi cum eis, qui Tertulliani aduersus omnem Montanismi suspicionem temere defendendi studio infano ducuntur, habebimus, si libros eius *de monogamia, de fuga in persecutione, de ieiuniis & de pudicitia* in censum scriptorum sine controversia Montanisticorum reiecerimus. Nam

IN MONTANISMO SCRIPTA VIDERI. XIX

Nam ut recentiorum prope omnium consensum, qui magni momenti esset, rem tamen non conficeret, mittam, vnum sed magnus testis HIERONYMVS (i) sufficere posset, qui si vel nullis aliorum argumentorum auxiliis corroboraretur, nobis persuaderet, tractationes Tertulliani περὶ σωφροσύνης, περὶ διαγροῦ, περὶ νησίας, καὶ περὶ μονογαμίας inter eas esse, ὃς ἴδιῶς πατέ της ἐκκλησίας συνεγάψατο, quas proprie contra ecclesiam scripsisset. Atqui dubio carere puto, libros plane pro Montanismo, & ad tuendam eius causam scriptos, ab auctore haereticos puro componi non potuisse. Ac si quis Hieronymi auctoritatem repudiaret, Tertulliani tamen ipsius fidem haud reculare posset, qui toties in seipsum suaeque opinionis peruersitatem testimonium dicit, quoties contra Psychicos, ut solet in his libris frequentissime, debaccharur. Psychicorum autem nomen, ut notissimum, & in hac opella iam plures indicatum est, per contumeliam a Tertulliano recte sentientibus dari, quis rerum ecclesiasticarum peritus probandum postularet? Nisi quis forte nouus exoriatur MARTINVS PERESIVS, qui cum catholicae religioni addictus, ieunia & quædam alia Montanistarum dogmata cum suis suorumque opinionibus conspirare, Psychicos vero illis contradixisse animaduerteret, nefcio quos haereticos hoc elogio exagitari cedidit, eoque nomine merito a viris celeberrimis Io. DALLAEO, (k) & ERN. SALOMONE CYPRIANO (l) reprehensus est. Talia vero posthac cuiquam in mente venire posse, timere verat vulgata etiam inter tyrones notitia, quod Tertullianus, postquam semel pro Montanistis contra Catholicos gladium strinxerat, hos iniqua contumelia φυχισσός, seu *animales homines*, illos πνευματικούς, seu *spirituales* appellari. Itaque omnes Tertullianus

C 2

ni

(i) HIERON. de viris illustr. Lib. II. cap. III.  
Cap. LIII.

(l) ERN. SALOM. CYPRIAN.

(k) IO. DALLAEI de Ieun. in notis ad Hieronym. cit. loc.



XX TERTULLIANI QVAE SUPERSVNT

ni libros, in quibus illud contumeliosum catholicorum nōmen Psychici legitur, ad scripta Montanistica sine dubio pertinere, immotum puto. Ac si singulos, quorum inscriptio modo commemoravimus, libros excutiamus, ille de monogamia statim in ipso limine totum veluti apparatum Montanismi suspensum ostentat. *Haeretici*, inquit Tertullianus mox in initio libri, (m) *nuptias afferunt, Psychici inge-*  
runt, seu quod idem est, in duobus extremis peccatur, & ab haereticorum quorundam fectis, quae nuptias perosae caelibatum imperant, & a ceteris Christianis, qui matrimonia multiplicant. Inter hanc virtuosam haereticorum continentiam, & Psychicorum licentiam media via incedere Montanistas putat, quibus Paracletus suus in ore Montani manifestus nuptias quidem concesserit, sed ynas, cum contra catholici, seu, ut eas Tertullianus ob animalium cupiditatum imperium iterum appellat, Psychici vel ex hac sola causa Spiritus S. charismata in Montano non agnoscant, quod disciplinam severiore introducat, & magis onerosa, quae Deus antea praecepere distulerat, officia per nouos prophetas nunc exigat. (n) Sufficere haec pauca possunt, ut ex vngue leonem agnoscamus. Neque enim indicia Montanistimi cetera, quae in singulis prope capitibus obvia sunt, colligemus, praesertim cum nemo, quod sciam, ex recentioribus dubitauerit, quin Tertullianus, quando de monogramia scribebat, Montanismo aeger decubuerit. Librum de *ieiunii-*  
*z*, vel ex sola, quam immotam possumus, temporum regula, Montanisticis adscribere liceret. Est enim post tractationem de monogamia compositus, (o) adeoque si vel indicia cetera deessent, ad virtuosum Tertullianum statum, qui postquam semel virum occupauerat, ad finem vitae durauit, solo aetatis argumento pertinere videretur. Sed ad has probationes tunc demum, quando alia nulla in promtu sunt, recurrimus. In hoc

(m) TERTULLIAN. de monog. cap. I.

(n) TERTULL. ibid. Cap. II.

(o) IDEM de ieiunii. Cap. I.  
De modo quidem nubend iam editi-  
mus Monogamiae defensionem.

IN MONTANISMO SCRIPTA VIDERL. XXI

hoc libello, talibus quidem auxiliis non opus erit. Nam iterum in ipso velut ostio cum Psychicis altercatur, eisque saginam & remissam iejuniorum disciplinam exprobrat, & illud inter fuorum spiritualem disciplinam & aduersae partis animalem fidem discrimen iactat, & vt solet vir acerbe dicax, nouis nominibus multinubentiae & multiuorantiae psychicos infestatur. Illud etiam vnum rem omnem conficeret, quod Montanum & Priscillam & Maximillam, propheticum nempe suum gregem, a Psychicis repudiari, plane etiam anathemate vexari, queratur. (p) Omnis vero tractatio perpetuam aduersae partis, vt gulæ ventrique deditæ, exagitationem, asperi vero Montanistarum rigoris in iejuniorum, stationum, & xerophagiæ positi defensionem & laudem continet, vt prope numeri capitum numerum indiciorum Montanisimi sequare videantur. In libro de pudicitia idem dominatur aduersus Psychicos odiūm, (r) eadem contra disciplinæ laxitatem indignatio, quam cum libellum Tertullianus scriberet, magis adhuc excitauerat episcopus, dubium Romanus, an Carthaginensis, qui omnibus post baptismum adulterii labo contaminatis, sed poenitentibus, veniam ab ecclesia datum iri publice pollicitus erat. Peruulgatum autem est, ex Montani sententia moechis non minus, quam idololatrias ac homicidis ecclesiasticis.

C 3

siac

(p) Irid. Paraclete controuerſam faciant; propter hoc nouae prophetiae reculuntur, non quod alius Deum prædicent, Montanus & Priscilla & Maximilla - & paulo post: quaque ex parte anathema audimus, qui alteri adiungiamus.

(q) De his praeter alios multos vid. CALVOER. Rituale. P. II. p. 299. PFANNER obseru. eccles. Tom. II. Obs. V. & VI. CABASSUT. nudit. eccles. Sae. II. diff. XX. p. ff. CHRISTOPH. IVSTELLI notae in.

Codic. Canon. eccl. vniu. p. 29. COTELER. ad Hermæ paftor. Lib. III. p. 104. seq. edit. Cleric. BEVERE. REG. annot. in canon. Apost. cap. LXIX. IO. CASSIAN. de infir. Coenob. Lib. IV. c. XXI. & XXII. & ibi comment. ALARDI GAZAEI conf. CHRISTOPH. ANGELI hifitoria Graeca. p. 799. seqq.

(r) TERTULLIAN. de pudicitia Cap. I. Erit igitur & hic aduersus Psychicos titulus.



XXII TERTULLIANI QVAE SUPERSVNT

fiae portam in perpetuum obserandam fuisse. (s) De iatione Paracleti, & de *Psychicorum* nomine, quod in hoc libello frequenter ingeminat Tertullianus, dicere mitto. Iam enim ad binos superiores libros animaduertimus, certissima Montanisimi vestigia in his dictioriis contineri. Illud denique, quod *de fuga in persecutione* inscribitur opusculum, quamquam ab Hieronymo inter eristica & ex professo catholicis opposita reponitur, tam acerbe tamen, quam quidem tria proxime commemorata, catholicis non insultat. Montanisticis vero iactationibus & praesertim illa gloriatione de suo Paraclero deducetur in omnem veritatem non caret, (t) ubiuis autem illud magnum, & quod unum sufficere posset, emergit indicium, rigor supra modum extensus, & persecutionis euitatio vehementius, quam fieri oportebat, damnata. Satis etiam Tertullianus discrimen, quo sua Montanistarumque sententia deflueret in hoc argu-  
mento a ceteris Christianis indicat; crediderimque Fabium, ad quem liber de fuga scriptus est, a Montani grege tunc alienum fuisse, quoniam Tertullianus eum & quos sequer-  
batur a secta sua perspicue separat, (u) & doctrinam de vita  
vexationis fuga, quae Montanisisti inter praecipuas &  
quotidianas erat, a Fabio duram & intolerabilem habitumi-  
ri suspicatur. (x) Talia, ni fallor, Montanismum libri satis  
euincunt. Adderem aliud argumentum, quod non minus  
potens esset, sed vim tamen suam, postea demum, quando  
de aliis quibusdam Tertulliani libris disputauerimus, pleni-  
us.

(s) HOTTINGER. de poenitentia p. 9. seqq. DALLAEVS de auric. confessione Lib. IV. Cap. XI. MORI-  
MVS de administrat. Sacram. poenit. Lib. I. Cap. IV. p. 8. 10. DARTIS de Canon. discipl. circa poenitent. Cap. VIII. Opp. T. III. p. 56. AL-  
BASPINAEI obseru. XXII, ciusque & aliorum not. ad TERTULLIAN. de pudicitia. ORSI. Diff. de capital.

crim. absolut. Sect. II.  
(t) TERTUL. de fuga in per-  
secutione. Cap. I. & Cap. XIV.

(u) Ibid. Procuranda autem ex-  
amnatio penes Vos, qui, si forte,  
Paracletum non recipiendo deducto-  
rem omnis veritatis, merito adhuc  
etiam aliis quaestionibus omnisi offi-  
cium.

(x) Ibid. cap. XIV.

IN MONTANISMO SCRIPTA VIDERI XXIII

us explicabit. Puto enim ostendi posse, Tertullianum prius ad Montanistas defecisse, quam Christiani sub Seuero primum a praefidibus prouinciarum, nouissime vero per edicta Imperatoris ipsius vexari cooperant, adeoque cum adhuc ecclesia pace frueretur. Veniet mox hac de re latius differendi locus. Hic vero de fuga liber, cum persecutio-nes iam inardescerent, nec obscurus earum metus sed praefens atrocitas ecclesiam terreret, (y) immo ni fallor, cum edicta sua Seuerus iamiam proposuisset, (z) conscriptus est. Haec de quatuor libris dicta sunt, quos auctoritas Hieronymi, & quae longe potentius argumentum praebet, ipsius Tertulliani suscepta pro Montanistis defensio, & nimia in Catholicos asperitas haereseos conuincent.

§. VI. Qui praeter hos quatuor supersunt, Tertulliani libros ad vnum omnes indicia quaedam Montanismi manifestavel obscuriora, certa tamen continere, nunc ostendum est. Quia in re veluti normae loco nobis erit Seueri persecutio, quam in Africa primam fuisse ex caussis idoneis viri docti dudum suspiciati sunt. Cui ego sententiae non ideo quidem subscriberem, quod ante saeculum secundum nullam ecclesiam in Africa fuisse cum EMAN. SCHELSTRATIO, (a) ANTON. PAGI (b) & Ios. AVGUST. ORSI (c) putarem. Est enim huius opinionis fons non adeo purus a partium studio, sed eximmoderata callidaque follertia, quae Africanas ecclesias tamquam colonias ex Romana ductas, & hinc Episcopo Romano subiectas esse probare satagit, ut a MELCHIORE

LEY-

(y) IBID. Cap. I. *Quanto enim frequentiores imminent persecutio-nes, tanto examinatio procuranda est, quonodo eas excipere fides debet.* & Cap. XII. *Antichristo iam in flante & in sanguinem, non in pecunias bi-ante Christianorum.*

(z) IBID. Cap. XII. *cum Christi flianum LEGIBVS HUMANIS RE-VM mercede dimittit.*

(a) EM. SCHELSTRAT. de ec-  
clesie Afric. diff. I. cap. 2.

(b) ANTON. PAGI Critica ad  
Baron. ann. XLII. n. V.

(c) Ios. AVG. ORSI Diff. de ca-  
pital. crim. absolut. Cap. V. p. 138.



XXIV TERTULLIANI QVAE SVPERSVNT

LEYDECKER O(d) iam obseruatum est, erupit. Sed quod ante Seuerum in Africa martyres nulli fuerint, vel solus Tertullianus nobis persuaderet, qui in libro ad Scapulam (e) *Vigilius Saturninus*, inquit, *primus hic gladium in nos egit*. Atqui ex Actis Martyrum Scillitanorum, quae BARONIVS (f) MABILLONIVS (g) & RVINARTVS (h) ediderunt manifestum est, Saturninum imperante Seuero praesidem Africæ fuisse. Nec sine robore argumentum est, quod in vetustissimo quadam ecclesiae Carthaginensis Kalendario, nullius martyris Seueriana persecutio antiquioris nomen relatum exstet. (i) Itaque si Seuerus imperatorum primus Africam afflixerit, & ab eius praesidiis, antequam ipse Edicta proponeret Christiani vexati sunt, ut celeberrimus MOSHEMIVS (k) in iuris argumentis ostendit; si que demonstrari potest, Tertullianum antequam edita Seueri scripta fuerint, ino antequam praefides a populo militibus que incitati contra Christianos nullo etiam Seueri iussu faciuerint, cum Montanistis fecisse; non dubitandum est, quin libri, qui persecutionis vel iam feruescientis, vel proxime metuenda mentionem faciunt, in Montanismo compositi sint. Iam quod *Iher de corona*, cum adhuc ecclesia pace frueretur, nullaque vel Seueri, vel praesidum atrocitas erupisset & tamen in Montanismo conscriptus fit, ex indubio indiciis palam est. De Montanistica libelli labo vel ipsa scribendi occasio testimonium praebet. Distribuebatur ex liberalitate Seueri militibus donatuum, inter quos aliquis coronam lauream sibi datam capite gestare noluit, & cum otiosam in manibus teneret, & tantum non contempnere vide-

(d) MELCH. LEYDECKER hi-  
flor. eccl. Afric. Differt. praelim.  
Sect. I. & P. II. Cap. XV. p. 267.

(e) TERTULLIAN. ad Scapul.  
(f) BARON. annal. ad a. CCII.  
(g) MABILLON. Vet. Analect.  
p. 172. edit. Parisi. a. 1723.

(h) THEOD. RVINARTI Acta  
martyr. p. 56.  
(i) v. los. AVG. ORSI cit. loc.  
p. 173.

(k) MOSHEM. de actate Apolo-  
getici Tertull. §. VIII. seqq.

IN MONTANISMO SCRIPTA VIDERI. XXV

videretur, caussam rogatus: *Christianus sum!* respondit. Quod factum variis etiam Christianorum iudiciis exceptum est. Nam qui putabant persecutionem nec fugiendam, nec quacunque demum dissimulatione vitandam, adeoque Christianis ab omnibus ceteroquin etiam innocuis, sed aliquam sacrorum ethniconum communionem inuoluentibus, signis & ornamentis abstinentem esse, tametsi quis eorum contemptu se Christianum proderet, (erant autem in hac sententia Montanistae) illis miles fortiter & heroice, & ut Christianum deceret fecisse videbatur. Ceteri vero, qui a Montano eiusque rigore magis alieni erant, non posse tantum coronam accipi, verum etiam ne pax ecclesiae contemtu donorum Auguſti turbaretur, retineri oportere contendebant. Contra quos Tertullianus pro milite libellum de corona peracrem compofuit, & de fuga in persecutione doctrinam eandem defendit, quam in libello, qui de fuga ex professo scriptus, & inter eos, qui sine dubio Montanistici fiant, a nobis modo collocatus est, iterum edidierunt. At qui haec doctrinae vtriusque libelli similitudo vel sola convincere nos posset, Tertullianum non minus Montanismo decubuisse, cum *de corona*, quam cum *de fuga* scriberet. Praeterea, quid clarius illa Catholicorum increpatione: (1) *Plane superest, ut etiam martyria recusare meditentur, qui prophetias eiusdem Spiritus Sancti respuerunt.* Atqui prophetias, quas Tertullianus repudiatis esse queritur, nullae sunt alliae, quam Montani, Priscillae & Maximillae. Duncunt nos haec vestigia, ni fallor, ad Montanistum in libro de corona deprehendendum, & ex eorum indicio viri docti hanc scriptiōnem inter haereticas iam iam reiecerunt. (m) Alterum, quod ad librum de corona obſeruatione dignum est, ad aetatem eius pertinet. Scriptus enim videtur, cum

D eccle-

(1) TERTULLIAN. de Corona Cap. I. ecclastique. Tom. III. P. I. p. 384. FLEVRY Histoire eccl. Livre VI.

(m) BARON. annal. ad a. CC. BEBEL. antiqu. eccl. Saecc. III. art. VII. p. 973. TILLEMONT. memoires pour servir a l'histoire

§. II. BASNAGII Annales polit.

eccl. ad a. cc. §. VI. ALLIX. de

vita & scriptis Tertull. Cap. V. p.

p. 37. ZENTGRAY. diff. IV. §. XI.



XXVI TERTULLIANI QVAE SUPERSVNT

ecclesia Africana nullo adhuc vexationis genere tranquillitatem suam turbari sensisset. Ipse Tertullianus de his, qui factum militis imprudens & ecclesiae noxiun fore querebantur, *Musitant*, inquit, *nam bonam & longam pacem periclitari*. Ergo & longa pax ecclesias tunc contigerat, & *bona*, quod n fallor efficit, vt credamus, eam ne a praefidibus quidem, multo minus editis Augusti, cum Tertullianus haec scriberet, turbatam fuisse. Pertinet igitur libellus ad eos, qui persecutionem Seuerianam antecesserunt, quod iamdudum agnouerunt viri docti, praeter **TILLEMONTIVM**, (n) quippe qui post longum demum temporis intervalum, nempe anno ccccxxxv, quo Maximinus imperabat, compositum esse, non tam ex certis argumentis, quam potius, vt hypothesi suae seruiat, contendit. Viderat enim vir doctus, librum de corona contra Montanistim suspicionem defendi nullo modo posse, & si ante Seuerianam persecutionem scriptum esse admireremus, eum bene multis alios Tertulliani libellos in hanc reprehensionem haeresos secum veluti tracturum esse, nimirum eos omnes, quos quoad Seueri vexatio ardebat prodiisse certis indiciis constar. Dererunt autem **TILLEMONTIVS**, & praeter eum plures ex Pontificiis operam, vt aliquot Tertulliani libellos, qui ex hoc arguento Montanisticae haeresos conuinci possent, defenderent tamquam orthodoxos. Ego **TILLEMONTII** sententiam non solum, quod omni argumentorum praefidio careat, sed & quod temporum rationem perturbet, omnino repudiandam esse crediderim. Nam primum illud obiici posset, ne vixisse quidem videri Tertullianum, cum Maximinus imperaret. Neque tamen hoc contumaciter vrgerem, cum omnis de tempore mortis Tertulliani quaestio dubiis multis inuoluta sit, & **PETRVS** quidem **ALIXIVS**, qui diligentissime Tertulliani vitam exposuit, A.C. ccxv. eum obiisse censem, sed ex coniecturis lubricis & sine rectore fluentibus. Aliorum sententiae de mortis anno nihil certiores.

(n) **TILLEMONT.** cit. loc.

IN MONTANISMO SCRIPTA VIDERI. XXVII

res sunt, adeoque hoc argumento non vtor. Demus igitur, Tertullianum aetatem Maximini viuendo attigisse, liber tamen *de corona*, quo minus in illud tempus reiiciatur, ipse non obscuris argumentis reclamabit. Nam ecce statim prima libelli verba: *Proxime factum est; Liberalitas praefatisimorum Imperatorum expungebatur in castris;* quin duo fuerint Imperatores, cum haec scriberet Septimius, dubitare vetant. Conuenient haec cum Seueri temporibus, qui A. C. cxcviii. filium Caracallam Augustum renunciari fecit; Maximini vero annis non aequae respondent. Quod enim TILLEMONIVS etiam Maximinum a. ccxxxv. filium suum in imperii & nominis Augusti societatem adscivisse iactat, ut etiam ad hunc annum duos Imperatores haberemus, illud perquam incertum est. Non Augustum, sed Caesarem filium suum appellari, Maximinus fecerat, ut diserte testatur CAPITOLINVS, (o) idemque in numis & marmoribus genuinis non Imperator nominatur, sed Caes. (p) Quare si annus ccxxxv. nonnisi vnum Augustum habuit, quid verbis Tertulliani de duobus faciemus? Ait quoniam ANTONIVS PAGI, quamvis nobiscum Maximini filium Caesarem tantum fuisse putet, quibusdam tamen veterum locis eum minus accurate *Imperatorem* nominari probauit, (q) age, ne quid argumentis ambiguis tribuisse videamus, fulcianus sententiam nostram adhuc alio, ni fallor, deamur, fulcianus sententiam nostram adhuc alio, ni fallor, firmissimo. Scriptus est liber *de corona* ante illum *de fuga in persecutione*. Ait enim Tertullianus, pastores partis Montano aduersae in pace leones, in calamitatibus ecclesiae ceroos, & ad fugam promtos, nulliusque vocis scripturae S. magis memores esse, quam illius, quae emigrare, sarcinasque colligere horratur, contra quos alibi demonstratus esset, quomodo Christum constanter confiteri oportiebat. (r) Promittit igitur libellum *de fuga*, vt bene monet.

D 2

ELLIES

(o) CAPITOLIN. in Maxim. Cap. XXII.

(q) PAGI Crit. ad BARON. a. 238. §. VIII.

(p) MARQV. GVDII Inscript. in Indd. Cap. XX. p. LIV. seq.

(r) TERTULLIAN. de corona. Cap. I. Nec dubito quosdam scri-



XXIX TERTULLIANI QVAE SUPERSVNT

ELLIES DV PIN, (s) non illum, qui *Scorpiace* inscribitur, velut BARONIVS (t) & ALLIXIVS (u) crediderunt. Quamvis enim & hic liber martyriorum necessitatem praecipiat, est tamen contra haereticos, qui eam negabant, non contra timidiores catholicos, quos se confutaturum Tertullianus in libro de corona promittit, conscriptus. Liber vero *de fuga* datam fidem explet, & catholicos in confitenda Christiana fide meticuloſos exagitat. Manifestum autem puto, eum imminente vexatione graui & iam ineuitabili scriptum esse. (x) Et Maximini quidem persecutio intelligi nequit, quae nec Africam attigit, (y) nec contra Christianos omnes, sed tantum contra episcopos saeuit. (z) Tertullianus autem & de Africanis calamitatibus & de his quidem quae omnes Christo fideles obruerunt, loquitur, & laicos aequae ac episcopos fuga sibi consulere indignatur. (a) Demus etiam, in libro de corona promitti *Scorpiacen*, quod BARONIO & ALLIXIO placuit; *Scorpiace* iterum incidit in tempora Seueri, ut ex narratione de Pythico agone Carthaginienſibus restituto TILLEMONTIVS ipſe concludit. (b) Itaque & *Scorpiace* & liber *de fuga* pertinent ad Seuerianam persecutionem, & collectio certiflma est, librum de corona, qui viroque antiquior est, ante illam scriptum videri. Ios. AVGVSTINVS ORSI (c) etiam annum libello assignavit, nempe P. C. N. cxcviii. nec sine magna veri specie,

pturas, Emigrare, sarcinas expedire, fugae accingi de ciuitate in ciuitatem. Nullam enim aliam Euangeliū memoriam curant. Noui & paſtores eorum in pace leones, in præficerios. SED DE QVAESTIONIBVS CONFESSIONVM ALIBI DOCEBIMVS.

(s) DV PIN bibliothèque des auteurs ecclæſiaſt. Tom. I. p. 92.

(t) BARON. annal. ad a. cev. §. 19.

(u) P. ALLIX. cit. loc. Cap. VII. p. 57.

(x) TERTULLIAN. de fuga Cap. I. & Cap. XII.

(y) PAGI Critic. ad a. 235. §. 3.

(z) EVSEB. Histor. Lib. VI. Cap. XXIX.

(a) TERTULLIAN. de fuga Cap. XI.

(b) TILLEMONT. cit. loc. no. te x. ſur Tertullien. p. 546.

(c) ORSI Diff. de crim. capit. abſol. Sect. II. Cap. II. Digress. II. p. 104. ſeqq.

IN MONTANISMO SCRIPTA VIDERI. XXXIX

specie, cum in eum & duo Augusti, & Augustorum in milites liberalitas, & ecclesiae pax incident. Cuius viri argumenta, quae sunt potentissima, nobis hoc unum reliquerunt, ut TILLEMONTII rationes, quas a quoquam expensas esse non deprehendimus, dilueremus. Itaque dubio carere putto Librum de corona Seueri ac praefidum eius crudelitatem antecedere, & haeresin Montani redolere.

§. VII. Quae cum ita sint, librum de Spectaculis ex eadem Montani moneta esse cur ambigeremus? Prodiit enim, cum pax ecclesiae non quidem Seueri editis, sed clamoribus populi & praefidum atrocitate sublata esset; quod ex multis locis manifestum puto. (d) Est igitur libro de corona recentior, & per regulam, cuius vim supra explauimus, sine dubio Montanisticus. Neque ALLIXIO credemus, qui hunc libellum, in altero illo de corona, citari, adeoque tempore priorem esse censuit. (e) Bis enim Septimi nostrarum de spectaculorum voluptatibus scripsérat, Graece & Latine. Ac Graecum quidem opusculum, quod allegatur in libro de corona, (f) periit; Latinum quod superest, hac vero allegatione non designatur, ex cauissimis attulimus, omni dubitatione remota posterius habebitur. PAMELIUS (g) & TILLEMONTIVS (h) a libello de spectaculis Montanis reprobationem excludunt, quamquam nullo argumentorum colore. Et PAMELIVM quidem non moror, cuius chronologia de libris Tertulliani notae confusionis est, & temporum rationem innumeris locis turbat. TILLEMONTIVM mouit, quod nulla satis expressa Montanis vestigia deprehenderit, ALLIXII vero, qui eandem

D 3

dem

(d) TERTULLIAN. de spectac. Cap. XXVI. Illic (in coetibus ethniconum) in nos quotidiani leones expostulantur, inde persecutioes decernuntur, inde tentationes emittuntur & Cap. XXX. item PRAESIDES PERSECUTORES dominici nominis.

(e) ALLIX. cit. loc. Cap. VI. p. 45.

(f) TERTULL. de corona Cap. VII. Sed buic materiae (de spectaculis,) propter suauiludos nostros GRAECO quoque STILO satisfecimus.

(g) PAMELIUS in vita Tertull. ad a CCV.

(h) TILLEMONT. cit. loc. not. XI. sur Tertullien. p. 546.



XXX TERTULLIANI QVAE SUPERSUNT

dem Montanistri reprehensionem iniecit, argumenta parum momenti habere senserit. Ac de ALLIXII quidem accusatio non multo, quam TILLEMONTIVS, praecarius censio, adde etiam de altera ZENTGRAVII, quarum vtraque vix ullum, non dico robur, sed colorem habent. Hoc tamen eo non valet, ac si defectus indiciorum Montanisticorum ad orthodoxiae demonstrationem sufficere posset, quod aequum parum consequi, quam si quis febricitantem, dum paroxysmis caret, sanum esse putet, iam supra dixi. Temporum vero ratio certissimum argumentum praebat. Liber enim de corona Montanisticus est, hunc autem ille de spectaculis sequitur; numquid ergo Montanistri purus? Pergo, & librum de cultu seminarum, vel ut in quibusdam codicibus inscribitur, de habitu mulieris, inter Montanisticos reiicio, cum sit illo de spectaculis, quem allegat, (i) recentior. TILLEMONTIVS tamen, vt solet, de orthodoxia libri securus, (k) eum haud fecus ac alterum, qui titulum de cultu seminarum in omnibus libris praefixum habet, a Montanisticis separat. Atqui scriptus est, cum iam proxime inflarent persecutores, & Christianis non tam minarentur, quam inharent. (l) Cum igitur in ecclesiae pace Tertullianus Montanista fuerit, vt supra satis ad librum de corona demonstrauimus, quis cum ab hac reprehensione liberaret in temporibus, quae pacem turbauerant, persecutionum plenis.

VIII. Liber de idolatria Montanisticus est, cum sit illo de spectaculis, quem in haeresi scriptum videri modo ostendimus, recentior. (m) Praeterea mentionem facit mathe-

(i) TERTULLIAN. de cultu seminar. Cap. VII. *Nam & omnes istae profanae spectaculorum secularium voluptates sicut de illis suum volumen edidimus, ipsa etiam idolatria ex rebus Dei constant.*

(k) TILLEMONT. cit. l. p. 355.

(l) TERTULLIAN. de cultu fe-

min. Lib. II. Cap. XIII. *Ceterum tempora Christianis et nunquam maxime non auro sed ferro transiguntur, foliae martyriorum praeparantur.*

(m) TERTULLIAN. de Idolatria Cap. XIII. *De spectaculis autem & voluptatibus eiusmodi suum iam volumen impleuimus.*

IN MONTANISMO SCRIPTA VIDERI. XXXI

mathematicorum, quibus vrbe & Italia interdictum esset.(n)  
Atqui Seuerus tale quid in Astrologos statuisse videtur,  
cum in Albini & Nigri partes saeuiret;(o) Saeuit autem  
in eas a. cxcviii. (p) quo Tertullianus iam Montanista  
fuit; (q) quare liber de idololatria in Montanismo composi-  
tus est. Adde, eum postquam quaestio inter Montanistas  
& orthodoxas de fuga persecutionis agitari cooperat scri-  
ptum videri. (r) Orta vero est disputatio ex facto militis,  
qui coronam lauream repudiauerat. Quod nouum indi-  
cum praebet, libellum post eum de corona & lince a Mon-  
tanista profectum esse. Nihil ab hac sententia nostra nos  
dimouet ZENTGRAVIVS, (s) qui dici non potest quam  
velociter in constitendo librorum Tertulliani discrimine  
incedat, & velut digitri crepitu alias inter orthodoxos re-  
fert, alias inter Montanisticos relegat. TILLEMONTIVM  
nescio quid turbauerit, quando hunc libellum nec a Tertul-  
liano Montanista, nec ab orthodoxyo, sed plane in novo mor-  
bi genere, cum circa vitæ finem pœnae & a se dictam  
Tertullianistarum sectam condidisset, & ex haereticī affæcta,  
nouissime haeresiarcha factus esset, scriptum videri contem-  
dit.(t) Miror, virum doctissimum odiosum haeresiarchæ  
nomen Tertulliano affricuisse, cum ipse AVGVSTINVS, qui  
prope solus Tertullianistarum mentionem fecit, ne haere-  
ticum quidem Septimum nostrum habitum esse, nisi ob so-  
lam in Montanistas indulgentiam, non obscure indicet. (u)  
Neque etiam circa finem vitæ Tertullianus affæcta suis no-  
men dedit, cum iam Soter Episcopus Romanus eis obsti-  
fe dicatur. (x) Praeterea si vel AVGVSTINO credamus,  
Tertul-

(n) *Ibid.* Cap. IX.  
(o) *S.*

(o) SPARTIAN. Seuer. Cap. XV.  
(p) MOSHEM. de acetate Apolog.

(q) vid. *ibid.* p. 122.

(r) *T*<sub>E</sub><sub>R</sub><sub>E</sub><sub>M</sub>

(F) TERTULLIAN. de idolol.  
Cap. XXII. *Multi dicunt: Nemo*

*VII. Multi dicunt: Nemo se  
debet promulgare.*

(s) Promulgare.  
ZENTGRAV.

INTGRAV. diff. IV. §. 10.

(t) TILLEMONT. Memoir. de l'histoire eccles. T. III. P. I. p. 356. sq.

(u) AVGVSTIN. de haeret. c. 86.

*Non ergo ideo est Tertullianus haere-*

*Non ergo habet etiam unus haere-  
ticus, sed quia transiit ad Cataphry-*

ges &c.

(x) vid. PAGE Crit ad Baron.

(x) vid. PAGI Crit. ad Baron. a.  
CLXXXL §. III.

CLXXXI. §. III.

XXXII TERTULLIANI QVAE SUPERSVNT

Tertullianum ultimis vitae annis conuenticula sua separatum a Montanisticis habuisse, in dogmatibus tamen Montani etiam post coetuum diuortium, retinendis constanter persistit. (y) Omnis vero illa de peculiari secta Tertulliani eiusdemque a Montanistis secessione narratio parum idoneis, si aetatem species, auctoribus nittitur, & omnia rimanti perspicuum erit, nihil a TILLEMONTIO in medium allatum esse, quod librum de idolatria post conuenticulum separationem scriptum esse euinceret; vel si etiam hoc daretur, scriptio nem nihilominus Montanisticam habirum iri, quoniam ipso fatente TILLEMONTIO Tertullianus non tam a dogmate, quam ab externa Cataphrygum communione deflexit.

S. IX. Tertullianum ante persecutionem Seueri Montanistam fuisse, adeoque *Apologeticum* eius, qui Christianis praesidum atrocitate iam grauiter afflictis conscripsit, in Montanismum eius incidere, certissimam collectiōnem puto. Neque tamen ea recens aut nobis peculiaris est, siquidem & IOANNEM JACKSON, ecclesiae Anglicanae presbyterum, in dissertatione, quam Nouatiani Operibus praefixit, ita rationes composuisse accepimus. Quam rem, cum Summe Reu. MOSHEMIVS suffragio suo probare recusat, (z) numquid nobis dubitandum amplius sit, ex his, quae ad librum de corona disputauimus, apparebit. Cetera, quae de Apologerici aetate in tractatione Moshemiana disputationantur, omnibus numeris, ut cuncta, quae sub tanti artificis manu nascuntur, absoluta sunt, & inuidetis argumentis demonstrant, Apologeticum, antequam edita Seuerus proposuit, conscriptum esse. De anno vero cxcviii. quem vir celeberrimus Apologetico adsignat, fateor, me dubiis quibusdam vrgeri, & praesertim ex ea cauffa, quod librum de corona in eundem annum incidere potentissimum argumentis alos. AVG. ORSI euictum sit. Ac si, quando de corona Tertul-

(y) PRAEDESTIN. Cap. aetate Apolog. Tertull. §. XVI. p. LXXXVI.  
53. sq. not. \*\*

(z) IO. LAVR. MOSHEM. de

IN MONTANISMO SCRIPTA VIDERI. XXXIII

Tertullianus scribebat, ecclesiae pax *longa & bona* nondum intercederat, si Christiani tantum missirabant, eam ex imprudentis militis facto turbatum iri, dictu forte difficile videbitur, qui potuerit Tertullianus eodem anno in Apologia sua de persecutionibus tantis, eisque non demum heri aut nudius tertius coortis, conqueri. Praeterea in hoc Apologetico de sacris Aegyptiacis Romae restitutis loquitur, (a) quam peregrinam religionem variis in urbe fatis obnoxiam, (b) si Iulio CAPITOLINO (c) credimus, Marcus Aurelius perosus est, & plane Pelusii repressit, & quod inde non sine magna veri specie colligeretur, multo magis Romae suscepit. Restituisse vero Serapideum Seuerus videtur, qui omnem Aegyptum peragrauit, & facerimus eius mysteria, πάντα τὰ διάφορα μεταποιέα, rimatus est, (d) librosque ex adytis abstulit, & ex hac peregrinatione propter religionem Serapis, quam vehementer amabat, magnam voluptatem cepit. (e) Iterum etiam Tertullianus in *Apologetico* (f) prouocat ad Ptolomaei bibliothecam, quae ad Serapeum esset, & S. Scripturæ libros Hebraicos contineret; quasi ut Seuerum Imp. moneret, fuisse eum non ita pridem in Aegypto, & Alexandriae, librosque sacros conquisiuisse, ad Serapeum vero, cuius ipsi tam religiosus cultus esset, veterum propheta rum Hebraicorum volumina reperiri potuisse. Petiti autem Seuerus Aegyptum, cum a bello Parthico rediret, cum que in hoc bellum a. CXCVIII. profectus sit, nescio an conjectura vana me fallat, si Apologeticum post hunc annum compositum esse crederem. Neque etiam huic opinione

E

ni

(a) TERTVLL. *Apolog.* Cap. VI. licet Serapidi iam Romano arus refruxeritis.

(b) BYNCKERSHOEK de relig. peregr. p. 216.

(c) CAPITOLIN. in M. Ant. Phil. Cap. XXIII.

(d) DION. CASS. Lib. LXXV. p. 856.

(e) SPARTIAN. in Seuer. Cap.

XVII. Incundam sibi peregrinacionem, nonne hanc propter religionem dei Serapidis & propter nonitatem animalium vel locorum fuisse, Seuerus ipse postea semper ostendit.

(f) TERTVLL. *Apolog.* Cap. XXIII. Hodie apud Serapeum, Ptolomaei bibliothecæ cum ipsis Hebraicis literis exhibentur.



XXXIV TERTULLIANI QVAE SUPERSVNT

ni multum obstaret, quod Tertullianus eo tempore, quo Albini reliquiae conterebantur, pro Christianis scripsit, (g) factum hoc autem esset anno CXC VIII. priusquam contra Parthos moueret. Quidni enim Seuerum etiam absentem & ab vrbe profectum iussis suis in partium sibi aduersarum asseclas fæcire potuisse coniiciamus, cum ita non conicere sed credere DIONIS auctoritate (h) licet, qui cum Seuerus & Plautianus in Oriente militarent Romae tamen aliquos ad caedem designatos & duos esse memoriae prodidit. Ex his causis Apologeticum Tertulliani edicta quidem Seueri præcessisse, cum S. R. MOSHEMIO immotum esse puto, neque tamen cum anno CXC VIII. sed aliquanto serius prodiisse crederem. Quod autem in Montanismo scriptus sit, ex his, quae supra diximus, dubitatione, opinor, carebit.

§. X. Quae Montanisnum Apologeticu demonstrant argumenta, velut eodem impetu *libros ad nationes* & illum *de testimonio animae* in similem suspicionem trahunt. Neque enim haec opuscula differunt ab Apologeticu, nisi prolixitate, eandemque defensionem, quam Tertullianus in hoc libello velut in pugnum compreslerat, aliquanto latius explicant. Atque ut in Apologetico duobus praefertim argumentis contra persecutores pugnauerat, *testimonio ignorantiae*, quod hi Deum verum & doctrinam ac disciplinam Christianorum, quamvis oderint, tamen ignorarent, & *testimonio animae*, (i) quae Deum verum, quacunque educationis perueritate depravata esset, velut interno motu agnosceret; ita prius illud *testimonium ignorantiae* in Libris duobus ad nationes, (k) & alterum *testimonium animae* in libro, qui hoc titulo inscriptus est, (l) prolixius expont.

(g) TERTULL. ibid. Cap. XVII. *Vultis ex animae ipsius testimonio comprobemus.*

XXV.

(h) DIO. CASS. Lib. LXXV. p. 854. sq. & p. 757.

TERTULL. ad nationes.

(i) TERTULL. Apolog. C. Cap. I.

(k) vid. prima verba Libri I.

(l) TERTULL. de testim. anim.

IN MONTANISMO SCRIPTA VIDERI. XXXV

tur. Optime vero RIGALTIVS inscriptis in Libros ad Nationes capitum Apologetici numeris hunc veluti delineationem, illum autem opus plenius exstructum esse demonstravit. Itaque cum idem scribendi consilium, eademque argumentorum dispositio fere vbius eluceat, quidni eodem etiam fere tempore Apologeticum, & libros ad Nationes nec non de testimonio animae prodiisse cum TILLEMONTIO statuamus? (m) Vtrumvero Apologeticum, tanquam delineationem suam ex-aedificatio, sequuti sint, an eum aetate praecedant, ita vt in hoc libello copiae prius explicatae velut contrahantur, nostra non multum interest, cum ex singulis prope capitibus palam fiat, eos postquam persecutio vagari cooperat & hinc in Montanismo, qui iam ante eam Tertulliano, vt saepe diximus, obrepserat confcriptos esse. Nam quae apud NOVRIVM (n) recensentur sententiae de annis CXCIII. vel CXCVII. vel CXXVI. horum librorum natalibus, illae oppido leues sunt, & si nostrum institutum hanc differendi prolixitatem caperet, sine magno negotio dispelli possent. Liber ad Scapulam in mediis persecutionum feruoribus scriptus est, & plures Praefides, quorum crudelitas in Christianos imperium fecerat, recenter; (o) habet etiam alias temporis notas, nimurum de inundatione quadam ingente, solisque defectione, in cuius calculum inquisuerunt viri docti, (p) varie quidem, ast ita tamen, vt omnes, ad quos libellum retulerunt, anni in ea tempora, in quibus Tertullianus dudum Montanista fuerat, incident. Liber ad Martyras in eadem temporum calamitate, ac ni fallor, post libros ad nationes scriptus est. In his enim mentionem facit cuiusdam, qui se tunica incendiaria ad certum usque locum autorauerat, factumque hoc, cum Tertullianus libros ad nationes scribe-

E 2

ret,

(m) TILLEMONT. cit. I. p. 349.

(n) NOVRIV apparat. ad Biblioth. Max. Patrum Tom. II. p. 1236. seq.

(o) TERTULL. ad Scapulam. Cap. III.

(p) PETRVS POSSINVVS in not.

ad passion. SS. Perpet. & Felic. p. 202. PAGI ad a. CCIII. NOVRIV apparat. Tom. II. p. 1245. ORSI cit.

XXXVI TERTULLIANI QVAE SUPERSVNT

rer, adhuc recens fuisse videtur, (q) ac iterum in libro ad martyres (r) repetitur. Itaque si haec scriptio persecutione flagrante & post libros ad nationes prodiit, pro Montanistica merito habebitur. Praeterea martyres hortatur, ut concordiam, quae inter eos diffluere videbatur, custodian, (s) idque nobis indicio est, martyres, ad quos Tertullianus scribebat, ex orthodoxis & Montanistis mixtos fuisse, inter quos etiam in vinculis & martyrorum cruciatis non conueniebat. (t) Ad eos vero conciliandos opus erat hortatore, qui utrique parti bene cuperet, qualis erat Tertullianus Montanista, & in catholicos quidem saepe peracerbus, neque tamen eos ita, ut haereticos, perosus. Librum *de patientia* martyribus praesertim utilem eodem tempore scriptum esse censer **ALLIXVS**; (u) sed tribuit ille vir saepenumero aliquid seriei librorum, qua in codicibus MSCris, praesertim Agobardi, collificantur; quo tamen argumento ego quidem non vtor. Atque in eo, quamvis nullas temporum, aliquas tamen Montanismi notas deprehendi cederim, cum & viudos de secundis nuptiis cogitantes adulteros dici, (x) & ieiuniorum rigidam frequentiam ac veluti seriem iniungi videam, (y) quod utrumque Montanisticum esse, quis ambigit? Quod autem **TILLEMONTIVS** (z) hunc libellum a Tertulliano nondum haeretico ex verbis, quibus in persecutione fugam licere diceret, scriptum esse censer, illud magnam vim habere non puto. Neque enim Tertullianus fugam licere docet, sed si quis tamen fugiar, patientiam incommoda fugae quasi mollituram esse ait; (a) neque Montanistae fugam omnem praecludebant, cum & Apostolos ex praecepto Christi

(q) **TERTULL.** ad nat. Lib. I. λιγοτίνων μαρτύρων, διαφέρεται τε πρός άυτούς.  
Cap. XVIII.

(r) **I.D.** ad martyr. Cap. V. (u) **ALLIX.** de vita Tert. p. 80.

(s) **I.B.I.D.** Cap. I. (x) **TERTULL.** de patientia. Cap.

(t) **EVSEB.** Hist. Eccles. Lib.V. XII.

Cap. XVI. Καὶ ἐπεδίνει ὅτι τοῦ τῆς

κατὰ τὴν ἀλεθείαν πίστεως μαρτύρων

κληρονόμοις ἀπὸ τῆς ἵκαλοντος τούχων

μετά τινων ἀπὸ τῆς τῶν φρουρῶν αἰγάλεως

(y) **I.B.I.D.** Cap. XIII.

(z) **TILLEMONT.** cit. loc. p. 341.

(a) **TERTULL.** de patient. Cap.

XIII.



IN MONTANISMO SCRIPTA VIDERI XXXVII

Christi persecutores evitare potuisse admitterent, quoniam ad euangelii nondum vbiuis patefacti praedicationem necessarii fuerint. Itaque fugam, quae bono ecclesiae fieret, aequo probabant, quam aduersabatur illam, quae infirmitatis & timoris opus esset, nec magis verum est, quod orthodoxiae indicium his verbis contineatur, quam quod Io. DOVIATIVS ait, (b) plane dubitari, an liber de partientia Tertulliani sit. Nimurum hoc de libro de poenitentia vir doctus dicere voluit, certe debuit.

§. XI. Liber, vel potius tenebrae illae de *pallio*, effusae sunt, cum tres Augusti Romae imperarent, (c) Seuerus nimurum cum duobus filiis, vnde nonnisi ad annos CCVIII-CCXI. conjecturae de huius scriptiorum aetate recurrere possunt. Quare si Tertullianus Montanista fuit, cum solus Caracalla patris in imperio focius esset, (d) numquid orthodoxus, cum etiam Geta? Librum de *oratione magno* consensu a Montanisticis excluderunt etiam illi, qui ceteroquin haereticam labem reprehenderunt in plurimis, velut ALLIXIVS, (e) CAVEVS, (f) & alii, sed iudicarunt omnes de libello, ut communiter & a RIGALTO quoque editus est, hoc est, aliquot capitibus mutilo. Qui, si pleniorem editionem, quam viro celeberrimo LVD. ANTONIO MYRATORIO (g) debemus, inspicere potuissent, moniti essent dignis notatu Tertulliani verbis, quae dissidium in ecclesiis de velo virginum coortum commemorant, nostrumque Septimum cum eis, qui etiam virgines velandas esse putabant, fecisse demonstrant. (h) Sunt autem ea, quae hac de re in libro de oratione dispu-

E 3  
rat,

(b) IO. DOVIAT. praenot. Iuris Canon. Lib. II. Cap. XLVII. p. 322.

(c) TETULLIAN. de *pallio* Cap. II. *Quoniam urbium ait produxit, aut anexit, aut reddidit praeponens im- perii triplex virtus, Deo tot Augu- stis in unum faciente. conf. SALMAS.*

ad hunc lib. p. 62.

(d) vid. supra §. VI.  
(e) ALLIX. cit. loc. p. 35.

(f) GVIL. CAVEI Histor. lit. Script. Eccles. p. 57.

(g) MYRATOR. anecdot. Tom. III. Quae in vulgaris editionibus non existant, & a Muratorio pri-

mum edita sunt, habentur etiam in Observat. Miscell. Vol. III. Tom. I. p. 45. seqq. & Tom. II. p. 208. seqq.

(h) TERTULL. de orat. Cap. XXII. seqq. ex edit. Murat.



XXXIX TERTULLIANI QVAE SUPERSVNT

tat, simillima libro *de virginibus velandis*, quem nescio an quisquam orthodoxis adscribere ausus sit, certe nec PAMELIVS, nec TILLEMONTIVS adscriperunt, qui ceteroquin plurimos Tertulliani libros tuentur. Nec profecto absolui facile potest, cum Paracletum Montanisticum sonet, & ut ille Spiritus, quae lex & euangelium imperfecta reliquisti, ad maturitatem perducat, hinc & inde iactet, (i) hoc que disciplinae rigore, etiam quoad virginum vela, melior rem ecclesiae partem, nempe Montanisticam, manifestam fieri contendat, (k) praeterea monogamiam praedicit, & reuelationes miras praecepsis suis interserat. (1) Quare si velum virginum Montanistas a catholicis feceruit, si Tertullianus eius necessitatem ex ipsis Paracleti sui praecepsis in libello Montanistico de velandis virginibus vrsit, si denique in libro de oratione eandem sententiam tuitus est, cur ambigeremus, quin & hic in haeresi scriptus sit. Praetera in eodem *de oratione* libello (m) commemorat *communem & quasi publicam ieunii religionem*, quae die Paschatos obseruaretur; quod indicium praebet, placuisse iam nunc Tertulliano secundum disciplinam Montanistarum alia, nimirum illa rigida, & quae catholicis cum eis non communia erant, ieuniorum praecerta. Miror autem, ALLIXIVM (n) & alios viros doctos (o) libellum inter orthodoxos ideo vindicasse, quod in eo Tertullianus Hermae pastorem non ita contemnat, (p) ac quidem eum contemnit in libro *de pudicitia*, (q) cum Montanista sine dubio esset. Nimirum auctoritatem Hermae non ita in libro de oratione ac in illo de pudicitia deprimi opus erat, quod ea Tertulliano non aque obstatet cum illum, quam cum hunc libellum scriberet. Non solemus eos auctores exagitare, quorum verba sententiae nostrae non

(i) IDEM. de virg. vel Cap. I.

(o) JO. PEARSON. vindic. Ignatian. Cap. IV.

(k) IBD. Cap. II.

(p) TERTULL. de orat. Cap. XII.

(l) IBD. Cap. vlt.

(q) IDEM de pudicitia Cap. X. seqq.

(m) Id. lib. de oratione Cap. XIV.

(n) ALLIX. cit. loc. p. 35.

IN MONTANISMO SCRIPTA VIDERI. XXXIX

non obstant; sed si aduersentur, tunc demum ad configen-  
dam eorum fidem recurrimus. Itaque cum Hermas par-  
tes Montano contrarias iuaret, Tertullianus in eum acer-  
bius inuehit in libro de pudicitia, contra vero, cum lo-  
cus, de quo in libro de oratione agitur, ne quidem senten-  
tiae Tertulliani aduerseretur, quid opus erat, vt insectare-  
tur eius auctorem? aut quae collectionis illius vis, Tertul-  
lianus in libro de oratione Hermam non reiecit, cum rei-  
ciendi nulla necessitas esset, igitur cum ceteris catholicis  
eum probauit, & quam de oratione scribebar, ipse catholicus  
fuit? Adde, quod Hermam verbis perquam ambiguis alleget.  
*Hermas*, inquit, *ille*, cuius scriptura FERE *pastor* inscribi-  
tur. Viderint, qui Hermae *pastorem* a Tertulliano libri  
canonici loco habitum esse censem, quid sibi velit illud *fe-  
re*; numquid ita loquamur de scriptis sine dubio probatis,  
an potius indicium sit, *temere*, neque merito *pastoris* bo-  
num nomen Hermae libello dari, a Tertulliano significa-  
tum esse. Denique verba *HILARII*, ex quibus Allixius  
opusculum de oratione, antequam Tertullianus ad Monta-  
nistas desiceret, scriptum esse coniecit, si vel ambiguira-  
te, qua premuntur, carerent, nescio tamen, quantum apud  
eos momenti habitura sint, qui centum annis & amplius  
inter Tertullianum & Hilarium fuisse, adeoque dubium  
esse cogitabant, vtrum in Gallia Hilarius ordinem scripto-  
rum Tertulliani Afri post tantum temporis interuallum  
accurate scire potuerit.

§. XII. Vxorem suam ne, quando vidua facta fuerit,  
iterum nubat, Tertullianus monet in lib. i. ad vxorem, (r)  
& hoc ipso praecepto iam aliquam huic scriptioni suspicio-  
nem Montanismi contraxit. Ac ne nobis reponatur, mul-  
tis etiam aliis veterum patrum minime Montanistis secun-  
das nuptias displicuisse, age, de pluribus argumentis cir-  
cumspiciamus, non vsuri tamen eo, quod *Allixius* (s) ex  
libro-

(r) *TERTULLIAN.* ad vxor. (s) *ALLIX.* de vita & script.  
Lib. I. Cap. I. Tertull. p. 47.



XL TERTULLIANI QVAE SUPERSVNT

librorum serie, qualis in MSCtis est, deducit, & nos scilicet  
neum esse supra diximus. Hoc autem manifestum puto,  
Tertullianum ad vxorem scripsisse, cum quaestio de fuga  
in persecutionibus iam agitaretur, & illicitam esse Septi-  
mius noster cum Montanistis iam contenderet. (t) Sunt  
igitur libri ad vxorem illo de corona posteriores, & quan-  
do in eis Tertullianus ita colligit, melius esse nubere, quam  
viri, ut melius foret fugere, quam Christo renunciare, neu-  
trum tamen bonum esse, nisi cum peiore comparatum, quid  
aliud agit, quam ut duo praecipua doctrinae Montanisticae,  
capita ruerentur. Praeterea qui libellum ut orthodoxum  
laudari cupiunt, id eo praesertim consilio facere videntur,  
ne Tertullianum presbyterum inueniamus cum vxore. (u)  
Nouerant enim viri docti, eum in Montanisnum incidisse,  
postquam presbyter per aliquod tempus fuerat. Iam si  
ad vxorem scriptis in Montanisno, presbyteri coniugium  
negari nequit; & ut commodius negaretur, contendendum  
erat, libellum antequam presbyter factus esset, & hinc ab  
orthodoxo compositum videri. Sed hoc magis est factae  
quam veritati seruire; quod vitium etiam alias viris doctis  
in constituendo librorum Tertulliani discrimine obrepit.  
Recte ALLIXIVS obseruauit, magnam inter libros ad  
vxorem, & exhortationem castitatis similitudinem esse,  
qua tamen sine dubio scriptis Montanisticis annumeratur.  
Nam ut de durissimo contra secundes nuptias dicendi ge-  
nere stuprique nomine, quod eis affricat, (x) dicere mit-  
tam, plane Priscillae mentionem facit, & euangelium eius  
ore promulgatum extollit, qui locus non quidem in omni-  
bus codicibus reperitur, a RIGALTO vero ex MSCto ve-  
tustissimo restitutus est. (y) Haec argumenta tantum ro-  
bore

(t) TERTULL. cit. l. Cap. III.  
*Etsi in persecutionibus melius est ex permisso fugere de oppido, quam comprehensum & distortum negare.*

(u) TIELEMONT. *Memoires de l'histoire ecclés.* Tom. III. P. I. p.

337. FLEVRY histoire ecclés. Liv.  
§. L. NOVRRY apparat. p. 1198.

(x) TERTULL. exhort. castit.  
Cap. IX.

(y) RIGALT. not. ad Tertull.  
p. 114.

IN MONTANISMO SCRIPTA VIDERI. XLI.

bore suo valent, ut carere possimus aliis, velut eo, quo PEARSONIVS (z) vñs est, qui libellum ideo Montanisticis ac-  
censet, quod eum Nicēphorus eisdem annumerauerit. Ast  
liber περὶ σωφρονίας ab Hieronymo & Nicephoro inter  
haereticas Tertulliani scriptiones commemoratus, non est  
exhortatio castitatis, de qua nunc agimus, sed liber *de pu-  
dicitia*. Neque cum eis facerem, qui exhortationem  
ad castitatem ideo haereseos insimulant, quod in ea Tertul-  
lianus discrimen clericorum & laicorum non tam iure di-  
uino, quam moribus constitutum esse censeat. (a) Tu,  
quid hac de re tenendum sit, vide apud ill. BOEHMERVM. (b)

§. XIII. In libro *de poenitentia* multis verbis vestigia  
Montanismi vel orthodoxiae conquiri supervacuum fo-  
ret, si admitteretur, quod Erasmo placuit, opus Terrulliani  
non esse, quam sententiam IO. DALLAEVS quoque se-  
quutus est, postea vero deseruit. (c) Ac dicendi genus,  
quale Tertulliano familiare fuit, in hoc libro vix reperient,  
qui sunt in eius lectioне volutari. Neque admirerim ex-  
ceptionem, quae ceteroquin certissima est, ex stilo de aucto-  
ribus librorum non sine periculo iudicari. Sit hoc in aliis  
verum, qui communī ac vñtato adeoque non facile disser-  
nendo dicendi genere vñntur, Tertullianus sāne, quem &  
affectata supra modum obscuritas, & figuræ prope semper in  
præcipitio collocatae, ac inimitabile quoddam omnia inuol-  
uendi studium a scriptoribus non suorum, sed omnium fere  
temporum distinguant, ita potest agnoscī, vt quae supponan-  
tur ipsi opuscula, statim appareat, adeoque illi, qui librum de  
poenitentia suppositum esse censuerunt, ratione non pror-  
fus caruisse videantur. Sed haec cauſa cognitionem accuratam  
requirit, & nullibi minus desultoria leuitate vagandum est,  
quam quando de librorum auctōribus vel veris confirman-  
dis, vel per errorem creditis reūciendis pronunciatur. Ita-

F

que

(z) IO. PEARSON. Vindic.  
Ignat. p. 372. in PP. Apostol. Cotel.  
edit. Cleric.

(b) BOEHMER. dissēt. Iuris  
ecclēs. ad PLIN. & TERTULL. diss.  
VI.

(c) IO. DALLAEVS de vñ Patrum  
p. 15. & de auriculari confess. Lib. III.  
C. IV. p. 204.

(a) THOMASSIN. de discipl. ec-  
clēs. Tom. I. p. 183.



XLII TERTULLIANI QVAE SUPERSUNT

que sequamur interim eos, qui librum de poenitentia Tertulliano non eripiunt, quamvis illud alterum, quod magno contentu adiicere solent, (d) esse ante defectionem ad Montanistas conscriptum, nisi aperte falsum, certe nullis idoneis rationibus defensum sit. Omnis enim carum color ex libri de pudicitia, quem Montanisticum esse aperte confat, & huius libri de poenitentia doctrinis petitus est, quae, vt aiunt, toto coelo discrepant. Ego, ni fallor, in libre de pudicitia quaeri video, numquid illi, qui post baptismum adulterio se inquinauerunt, poenitentia consequi possent, vt etiam in ecclesia communionem iterum recuperentur; quod fieri posse siebat catholici, negabant Montanistae. Neque ideo tamen haec secta poenitentiam, aut omnem eius fructum tollebat, sed externum, quem quis in gremium ecclesiae reductus consequeretur. Illum nimurum denegabant per omnem vitam moechis non minus quam idolothytis, & homicidiis post baptismum iterum lapis; quamvis putarent, eis poenitentiam apud Deum vilium esse, si erique posse, vt quas sererent lacrymas, olim apud Deum metarent, licet nulla spes venieat in ecclesia obtinenda sperasset. Talia si refelluntur in libro de poenitentia, & sic quidem, vt etiam externae communionis fructus moechis poenitentibus prominantur, fatebimur, cum a Montanisticis scripti onibus excludendum esse. Nam ne tangit quidem hanc questionem Tertullianus, sed omnis de poenitentia disputatio in recentibus commodis poenitenti non tam in ecclesia, quam a Deo expectandis versatur, nec vlibi perspicue docetur, numquid etiam adulterii poenitentia proficiat ad communionem ecclesiae recuperandam. Itaque quod poenitentiam praedicit Tertullianus & externa quoque doloris signa necessaria eis contendat, non iurico ab Montanistica secta remotus est. Nam & Montanistae delectis eiusmodi inaculatos ad forces confitentes, ac illacrumari, fratres que circumire ac rogare solebant, non vt ab eis veniam impetrerent, quam dare Dei solum esset, sed vt Deum ipsum facilius exorent, & fratribus miserationem excusat, & vt Deum pro poenitenti deprecarentur, commoueant. Quorum sequi accurate distriuen perpendat, & fructus poenitentiae, qui colliguntur posthanc vitam, separab externis in communione ecclesiae verbi, inueniet, Tertullianum in libro de pudicitia moechis extenuos hos admisit, in libro de poenitentia non concessisse, adeoque nullam inter vitrumque pugnam, nullum Tertulliani nunc orthodoxi nunc Montanistica distriuen apparere. Ast aiunt Tertullianum, postquam Montanista factus erat, fassum esse, quod plane alia de poenitentibus olim docuerit. (e) Quod magianum vim habere, si se nominaret in ipso libro de poenitentia doctrinam Montano contrariam professum esse testareatur. Nam cum nec hunc librum designet, nec ipsa scriptio tale quid euineat, sed com libro

(d) TILLEMONT. cit. loc. p. 340.  
10. MORIN de administr. Sacram.  
poenit. Lib. I. Cap. IV. §. 3. & 4.  
GASP. IVENIUS. Comment. de  
Sacram. Diff. VI. p. 403. COTE-  
LER. ad Hermae pastor. p. 89. E.M.

MARTENE de antiquis ecclesiis  
ritibus Lib. I. P. II. p. 9. FLEVRY  
Hist. eccl. Liv. IV. p. 53; ALLIX.  
cit. 1 p. 33. seqq. ZENTGRAV. diff.  
IV. p. 16.

(e) TERTULL. de pudicit. Cap. I.



IN MONTANISMO SCRIPTA VIDERI. XLIII

libro de pudicitia multis modis conciliari possit, adeoque forsitan in opere quodam desperito doctrinae Montanistis contrariae olim a Tertulliano propo-  
sitae fuerint, vix est, ut opulculum de poenitentia in libro de pudicitia  
revoocatum ac velut defrustratum censeamus. Crediderim potius scribendi  
consilium in libro de poenitentia eo tetendisse, ut Montanistas suos, qui forte  
rigorem *excessorios* externae illasque lacrumas & sordes evitabant,  
(quod ad receptionem in ecclesiam, quam obtineri non posse ex di-  
sciplinae suae rationibus praeuidebant, nihil omnino conferrent) hortare-  
tur, ut cetera poenitentiae commoda perpendarent, nec eam ideo, quod  
ecclesiae communionem non operaretur, cum tamen olim post vitam pro-  
debet poffet, peragere detrectent.

S. XIV. Cum Tertullianus Montanistam effet, Zephyrius Epis-  
copus Romanus (vt fert plurimorum fententia) vel alias quidam antithes-  
tis in ecclesia sua edixerat: *Ego & moechiae & fornicationis delicta poenitentia sanctis dimitti;* (f) quod Septimus noster peracerbe tunc exigitavit,  
& ex scelae suae principis condit, talis policeri Dei folium effecit, ne-  
que ecclesiis, si vel maxime his delictis veniam dare posset, daturam  
effe. Similibus fere vitiarum diatribis in *libro de baptismo* (g) cumque idem  
opulculum ad persecutionis tempora pertinere videatur (h) nec obscure  
innuat, Montanitas iniuria esse a communione ecclesiae exclusos, cum unus  
ipsius & fidelibus ceteris Deus, unum baptismus, via in coelis ecclesia,  
cum ceteris autem haereticis nulla communio fit, (i) iudicent, qui-  
bus in his rebus suffragii ius est, in qua vitae & doctrinarum con-  
ditione Tertullianus hunc libellum conscriperit. *Liber aduersus Pra-  
xem* ex manifolis indiciis ad Montanisticos pertinet. Increpat enim &  
*Piscibicos* & praefert Praxeum ipsum, quod episcopum Romanum, qui  
prophetias Montani probare iamquam videbatur, ad reuocationem literarum  
pacis permouerit. (k) *Librum aduersus Iudeus* incidere in annos Secundi  
ultimo B A R O N I V S (l) ex indicis certis probauit, quem & ALLI-  
X I V S (m) recte sequuntur est, & cum Tertullianus iam a C X C V I I I fuc-  
tit Montanista, poterit unusquisque necessarium collectionis filium nobis  
etiam non monentibus ducere. *Librum aduersus Hermogenem* a Montani-  
sticis excludere ne T I L L E M O N T I V S quidem audet, (n) & qui *aduersus Valentinius* inscribitur, haud secus ac ille *de anima*, cum fini recentio-  
res, (o) vel sole aetatis indicio conditionem suam proderent, nisi & aliis  
maculis, quas dudum a viris doctis obseruatas enumerare mitto, compiciui-  
issent. Libros *aduersus Marcionem* ALLIXIUS Montanistim peregit, nihil  
que est, quod addi argumentis eius possit, saltem quod necessarium fit. De  
ceteris libris per aetatis rationes res sine magno negotio confici potest.  
Nam & Scorpiae, & liber *de praescriptione contra haereticos* illa refuta-

E 2 tione

(f) TERTULL. de pudicitia Cap. I.

(l) BARON. annal. ad a. C C X .

(g) Id. Lib. de baptismo Cap. X.

(m) ALLIX. cit. loc. p. 56.

(h) Id. Cap. XVI.

(n) TILLEMONT. cit. loc.

(i) IBIDEM.

(o) TERTULL. aduers. Valent.

(k) Id. Cap. I. aduersus Prax.

Cap. XVI. & de anima Cap. III.



XLIV TERTVLL QVAE SVPERS. IN MONTAN. SCRIPTA VIDERI.

tione Marcionis posteriores sunt, (p) quo argumento etiam **AL. XIX**  
 vtritur. Neque **TILLEMONTIVM** sequeret, qui parum in eo securitatis  
 esse idem contendit, quod Tertullianus ter contra Marcionem scripsisset,  
 dubium vero sit, ad quam scriptiōnē suam prouocauerit, vtrum ad illos  
 contra Marcionem libros, qui nunc supersunt, & ab omnibus ad Montanis-  
 mi tempora referuntur, an ad priores deperditos, qui forte compoſiti sunt,  
 eum ab ecclesiæ gremio nondum fecellifer. Nimirum ter contra Mar-  
 cionis insurrexit, quod plane admitto. Sed primum opusculum vt exile  
 ac non satis dignum hac controverſia ipſe supp̄r̄lit; alterum, initio Ter-  
 tulliano, cum adhuc rude nec satis exactum est, fraude cuiusdam vulga-  
 tum, nec a Septimio agnitus est; tertium opus nunc etiam exstat, & sine du-  
 bio Montanisticum creditur. Iam cum vix yeresimile sit, prouocasse Ter-  
 tullianum ad eam controverſias Marcioniticas tractationem, quam ipse  
 supp̄r̄lit, vel nunquam agnouit, sup̄erest; vt intelligantur Libri, qui nunc  
 in manib⁹ nostris sunt. Quidni igit̄ dicamus librum de p̄f̄cip̄t̄rio-  
 ne, & Scorpiaen eis recentiores in Montanismo scriptos videri. In libris  
 ad Marcionem, vt nunc superfūt, hoc est Montanisticis, pollicetur etiam  
 Tertullianus, se de argumēto p̄f̄cip̄t̄riois alio loco acturum, interim  
 vero contra proprias Marcionitarum doctrinas disputaturum esse. Neque ma-  
 gnum pondus habere puto, quod **TILLEMONTIVS** obseruauit, in libro de p̄f̄cip̄t̄rio  
 a Tertulliano prouocari ad ecclesiæ Apostolicæ suumque cum eis  
 confensum, (q) quale quid a Montanista fieri non potuisse. Numquid vero  
 minus hoc in aliis libellis, quos in Montanismo prodidisse extra controverſi-  
 an possum est, reperitur? Ne ipse quidem **TILLEMONTIVS** opusculum  
 de velandis virginibus inter orthodoxos vindicat, & tamen in eo inter Mon-  
 tanistas & ceteros Apostolicos coetus ecclesiæ vnitatem effe Tertullianus con-  
 tendit. (r) Non est huic viro constans & fibi semper simile de catholicis di-  
 cendi genus, quos interdum tam amice habet, quam acerbe alias in dispu-  
 tationibus suis eosdem exagauerat. Et offendit etiam **Ios. Av. g. Orsi,** (s)  
 Montanitas, quamquam ab ecclesia separatos, in ceteris namen articulis, de  
 quibus illis nulla cum recte sententibus lis intercedebat, vnitatem ecclie-  
 siæ semper affectasse. Itaque nihil supererat, ex quo libri de p̄f̄cip̄t̄rio  
 orthodoxyam cum **TILLEMONTIO** tueren; neque multum labo-  
 randum erit, vt libros de carne Christi & de resurrectiōne carnis in Monta-  
 nismo scriptos esse offendamus. Sum enim illis de p̄f̄cip̄t̄rio & de a-  
 zima recentiores, (t) quod vnum ætatis argumentum, quamvis alia quoque  
 promi possent, in hac instituti breuitate sufficiat. Atque ex his causis o-  
 mnes & singulos Tertulliani libros nunc demum, quando descerat ad  
 Montanistas, scriptos esse putamus; quam recte, statuant, quibus in his re-  
 bus suffragii ius est. Inuenient hi certe quadam argumenta nondum  
 ab aliis adducta, quae forsitan officium suum praestabunt. Ceteros, qui  
 nunc inscripti nomine Tertulliani circumferuntur, libros non mo-  
 ramur, quippe quos eius non esse, inter viros doctos conuenit.

(p) Id aduersus Marcion, Lib. L  
 & Scorpiae Cap. V.

(q) **TERTVLL.** de p̄f̄cip̄t̄rio. Cap. 36.  
 (r) Id. de virgin. veland. Cap. II.

(s) **Orsi** in dissert. de orthodo-  
 xia S. S. Perpet. & Felicit.

(t) **TERTVLL.** de carne Christi  
 Cap. II. de resurrect. Carn. C. II.





Wittenberg, Diss. 1738




VDn8

5b.







14  
125  
1738

SEPTIMII FLORENTIS  
R T V L L I A N I  
AE SVPERSVNT OMNIA  
N MONTANISMO SCRIPTA  
VIDERI  
PRAE SIDE  
WILIELMO HOFFMANNO  
ET PHILOSOPH. DOCTORE ET HISTO-  
ARVM PROFESSORE PVBL. ORDINARIO  
D. SEPTEMBER. CIC 10CC XXXVIII.  
H. L. Q. C.  
PVBLICE EDISSERET  
ODOFREDVS CENTNERVS  
THORVNIENSIS BORVSSVS.  
VITEMBERGAE  
FFICINA EPHRAIM GOTLOB EICHSFELDII  
ACADEMIAE TYPOGRAPHI.

